



1. Drejeri / Chr. / Diff. de Conver-  
sione Iudaeorum, Regiomonti  
1691.
2. Eckstein / Gottlieb / Summi Dei  
Magnatissimum, ex Genes. III.  
v. 22. contra Iudaeos, Wittenbergae  
1685.
3. Edzardi / Sebast. / Diff. ex Philo-  
logia Hebraica, Wittenbergae  
1695.



DISSERTATIONEM ACADEMICAM  
DE

13 71  
**CHRISTO  
IN NOBIS,**

AD ILLUSTRATIONEM PLURIMORVM  
SCRIPTVRAE S.

*LOCORVM, INPRIMIS VERO DICTI APOSTOLICI  
COL. I. 27.*

CHRISTO, DEO NOSTRO ADIVVANTE,

AC

CONSENTIENTE VENERANDA THEOLOGORVM  
FACVLTA TE,

HABENDAM PVBLICE IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
SVB PRAESIDIO,

**DN. IOANNIS FECHTII,**

SS. TH. D. FVLGIDISSIMI, EIVSDEMQUE P. P. VNDIQVAQVE  
CELEBERRIMI, CONSIST. ASSESS. GRAVISSIMI, SVPERINTEN-  
DENTIS VIGILANTISSIMI, h. t. DECANI MAXIME  
CONSPICVI,

*AD DIEM V. AVGVSTI ANNI MDCCV.*

HORIS LOCISQVE CONSVETIS

ERVditorVM PLACIDO EXAMINI SVBICIET

**IOANNES LÜNING, GRVBENH. MECKLENB.**

---

RECUSA MDCCXV.

26



DISSERTATION M. ACADEMICAM

CHRISTO  
IN NOBIS

AD HONOREM THEOLOGICAE FACULTATIS

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

PROBATA

CONSENTIENTE VICE-RECTORI THEOLOGICO

DOCTORI

DR. JOHANNI BUCHTII

DE

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...







**Q**ua temeritate delapsus me esse credatis, VIRI VENERABILES, quod hanc de fidelium cum Christo Θεωλογικῶν union: mystica, seu de CHRISTO IN NOBIS materiam aggressus fuerim maxime difficilem? Quot enim hic Interpretum diuersitates, quot deliria Fanaticorum, quot rationem adorantium spissa cogitata, tot difficultatibus eam circumdatam esse iudicatu in procliu est. Interim, hisce non obstantibus adductus sum ad eam partim suasu Magnif. Dn. Praesidis mei, cuius uerba semper mihi instar mandati fuere, partim utilitate ipsius rei, quam cum difficultate intime connexam esse reperirem. Equidem haud ignorabam, vires meas ad id opus agendum non sufficere, fretus tamen diuino auxilio, quod cum omnibus priis ad quaeuis negotia soleo expetere, subsidioque librorum atque Collectaneorum Dn. Praesidis ad hanc materiam necessariorum, elaborationem huius Disputationis in me suscepi, ac interposito spatio D. G. ad finem deduxi. Exhibui postea eam Magnif. Domino Praesidi meo, Viro in ingens bonum totius Ecclesiae purioris nato, sed ingenue fateor, varia in elaboratione ipsum desiderasse pro eruditione sua amplissima pariter atque undiquaque celeberrima. Unde factum, quod expressissimis verbis hic affirmo, haud pauca hinc inde uel esse mutata ab ipso, uel omissa, uel addita, cuius rationem dico esse, partim ἁλίστου ἔμυσνης τὰς ἁλίστους ἐν ἡμῶν, partim ingenium meum hucusque in elaborandis Dissertationibus haud exercitatum. Causas vero, cur Vobis, Viri admodum reuerendi, amicitia pariter, atque affinitate conjunctissimi, hocce quaecumque exercitium Acade-



micum inscribere debuerim? prolixè recensere supersedeo, vobis quippe, me tacente, notas quamoptime. Id tamen dicam, Præsul Sundenium dexterrime, affectum tuum hucusque erga me immerentem tantum fuisse, quo eum depradicare publice me oportuerit, atque simul expetere, velis talem erga meam tenuitatem amorem in seros seuare annos. Et Tibi, exoptatissime & dilectissime Domine Parens, sacrae debebant esse hæc pagina, in exercitium Academicum publici juris factæ; a te enim post DEVM non tantum vitam habeo, verum etiam postea vitæ nutrimenta & corporis indumenta dedisti mihi satis largiter, imo tuis sumptibus in diuersis Academiis, quod nunc publice grato animo atque pectore agnosco, missus, aliqualem comparavi mihi, DEO benedicente, rerum Theologicarum ad fidem & vitam pertinentium notitiam. Tibi, Parens desideratissime, ex discursibus mihi tecum admodum frequentibus optime notam, quæ omnia si non fuissent, ad huncce laborem me haud accingere, nedum perficere eum potuissem. Sic ergo, VIRI VENERANDI, suavis atque autoritate utriusque vestri, & propositum in studiis liberalibus eo alacriori animo profecutus sum, & nonnullas Academias, Viris omni studio emolumentum Studiosorum promoventibus repletas, non sine fructu visitavi, pro quibus grates mihi persolvendæ erant decentes, quas & nunc Vobis habeo, & ad extremum usque vitæ diem, animo certe, sum habiturus. Addo votuum: velit DEVS T. O. M. Christusque in nobis existens utramque Vestrum, VIRI VENERABILES, omni benedictione Spirituali majori ac majori in πλετον usque implere; velit in ingentem Ecclesiarum vestrum usum, atque in eorum, qui Vos dulcissimi Patris nomine appellanti, insigne solatium atque emolumentum, diu vos ambos incolumes conservare, diebusque vestris addere dies Hiskie! Sic roveo, sic opto per Christum, DEVM atque Dominum nostrum, Amen

I. N.



I. N. J. S. M. A.

DISSERTATIONIS DE CHRISTO IN NOBIS

CAPVT PRIMVM,

VARIARVM SENTENTIARVM RECENSIONEM  
EARVMQVE HISTORIAM PROPONENS.

§. I.



Cripturam S. eum in finem a DEO Ter O. M. communicatam esse generi humano, ut per eam, quotquot dantur homines, ad cognitionem veritatis perveniant, uti clarum evadit ex i. Tim. II. 4. ita apud omnes, qui nomen a restauratore Luthero suscipere non erubescunt, extra dubitationem est positum. Hinc quicquid scriptum est, peculiariter pertinuisse quidem ad certas Ecclesias, respectumque præcipue habuisse ad statum earum tum præsentem concedunt: interim tamen ea uniuersa suo modo, cætera vero quæ ad Christianismum ut talem spectant & fidem pariter officiumque hominum commune describunt, directa opera ad nostrum omnium informationem scripta esse, ut per patientiam & consolationem scripturæ spem habereamus, dilerte affirmat Apostolus, Rom. XV. 4. Suo jure ultimæ classi accensenda venit formula: *Christus in vobis*; quanquam enim hæcce immediate de certis tantum Ecclesiis (in multis enim Epistolis haud continetur) sit enunciata, ita tamen spectat etiam ad reliquas, ubicunque terrarum constitutas, ut non Ecclesiæ tantum ipsæ, sed & Ecclesiarum membra singula, modo renatorum numero sint adscripta, ratione gratiosæ Christi præsentis & inhabitationis dicere possint: *Christus in nobis*. Gratia sane Christi superabundans super omnes, eaque singularis sine *περισσος* *ωποληψια*, quicquid ordinarie uni coetui fidelium largitur in spiritualibus, denegare non solet alteri.

A 3

§. II.



§. II. Deprehenditur vero, si sacrarum literarum oracula consulamus, formulam: *Christus in vobis* (quæ iuxta intentionem DEI ad nos relata, qui Christo fide vera adhæremus, sonat: *Christus in nobis*,) quater *ναρὰ ἡμῶν*, seu quoad diserta verborum elementa in Sacris literis esse expressam. Quæ enim præterea huc pertinere videri possunt, vel plane aliter quoad literam sonant, vel saltim eo ordine non sunt enunciata. Ambabus interim amplectimur manibus, gratoque agnoscimus animo, quod doctrina illa, quæ proponitur per formulam: *Christus in nobis*, aliis quoque verbis in Scripturis S. reperiatur alibi, quippe quod neque dictus est disconveniens, neque alias in verum; cum per phrasas Synonymicas, aut descriptiones quascunque alias, res una eademque mirum in modum illustretur atque clarior reddatur. Equidem quæ ad sensum externum patent & quam primum audiuntur, intellectui sese ingerunt, nec aliter, ac si cernerentur oculis, intelliguntur, tali illustratione nisi ex superabundanti hauri indigent, a sensibus autem & intellectu remotiora omnino id postulant, cum alias conceptus erronei, ob infirmitatem, nobis ex lapsu adhærentem, intellectui sese facile insinuent; quæ vero tenebræ, ubi res una variis locutionibus circumscribitur, promptius dispelluntur.

§. III. Singulari ergo Divinæ gratiæ debetur, doctrinæ cœlestes neque sensibus, neque rationi parentes, ex peculiari misericordia erga indigentiam nostram pluribus phrasibus ita esse descriptas, ut intelligi a nobis possint. Veneramur eam imprimis submitte circa doctrinam de *Christo in nobis*; ejus enim non tantum phrasæ æquipollentes, verum etiam similia, ne dicam aliquid de aliis illustrationis generibus, in Scripturis S. reperiuntur. Omitto de his aliquid proferre ulterius, cum in subsequentibus opportuniorem ostendet locum occasio, id saltim dicam, hisce non obstantibus, quid locutio nostra involvat, quem sensum præbeat, quæ mysteria & fidei doctrinæ exprimat, vehementer esse controversum. Quare sententiarum circa hanc locutionem diuersitatem ante omnia enumerasse operæ erit pretium.

§. IV. Ne autem opiniones interpretum collectæ confuse proferantur, classes earum constituendæ sunt, undè non tantum  
memo-



memoriae subsidium, verum etiam veritati cognoscendae lux enasci solet. Age igitur, cum *dixorquia* singulariter laudetur a Logices doctoribus, ad unum omnes Christum, vel quoad ipsam substantiam, vel quoad accidentia nobis inesse, nisi rem plane negare velint, concedere debent; haec enim sunt illa duo summa genera ab Aristotele, uti notum, excogitata. Ratione substantiae Christum in nobis esse intelligunt sive de homine naturali, seu non converso, siue jam jam converso & in reatorum numero constituto. Vtraque classis in duas subdividi potest partes. Qui enim hominem naturalem pro eo venditant, in quo sit Christus, aut intelligunt hominem plane planeque sibi relictum, aut in potentia proxima ad conversionem constitutum. Pari modo, qui hominem conversum pro subjecto, in quo sit Christus, habent, aut illius ipsum participem fieri existimant statim in regeneratione vel conversione, sicque etiam justificatione posita, aut ad longius exercitium bonorum operum extendunt.

§. V. Mirum equidem videri posset, cum natura sibi relicta ignoret Christum, hominem extra conversionis viam constitutum, adeoque mere naturalem, quibusdam subjectum esse posse, in quo sit Christus, tamen nonnulli Quackerorum, praesente Keitho, cu in Historia Quackerismi enarrat *Cn. Crasus* p. 281. ex fundamento Omnipraesentiae DEI ad omnes creaturas colligunt hanc Christi inexistentiam. Largiuntur tamen, tantum abesse, ut homines impii inde gratiae quid & favoris accipiant, ut potius irae ipsius stimulos per illam ipsam experiantur. Sed an recte talis collectio ex omni praesentia instituat, hujus loci non est inquirere; id tamen dicam, de praesentia generali, quam ponit omnipraesentia, quaeque locum habet in regno potentiae, non esse quaestionem. Ipse Lutherus Tom. II. Witteb. Germ. p. 181. dicit: *Ein anders ist / wann GOTT (und also auch Christus) da ist / und wann Er dir da ist.* In priori commate loqui ipsum puto de praesentia generali apud omnes creaturas, in posteriori de speciali apud fideles.

§. VI. Qui hodie dicuntur Quackeri, omnium fanaticissimum hominum genus, in homine convertendo Christum specialiter quoad substantiam praesentem esse autumant, & conversionis  
non



non tantum progressum & complementum, sed & initium facere, aut ad eandem excitare & inflammare profitentur, eumque lumen vocant congenitum, & miris elogiis describunt. *Robertus Barclajus*, qui ut *Moses Majmonides* apud Judæos, ita hic inter Fanaticos primus desipere desit, *Apol. Th. V. & VI. per lumen illud*, ait p. 83. intelligimus spirituale celeste & inuisibile principium & organum, in quo DEVS ut & Pater, Filius & Sp. S. habitat; cuius divine & gloriosa vita mensura omnibus inest, sicut semen, quod ex natura sua omnes ad bonum invitat & inclinât. Et hoc vocamus vehiculum DEI, spirituale Christi corpus, carnem & sanguinem Christi, quæ ex cælo venire -- Hic ille Christus internus est, de quo nos tantum & tam sæpe loqui & declarare audimur, ubique prædicantes illum & omnes hortantes, ut in lumen credant, ut Christum in semetipsis natum & exsuscitatum noscant, ab omni peccato illos liberantem -- Non intelligimus hoc lumen & semen esse accidens, sed credimus esse realem spiritualem substantiam, quam anima hominis sentire & apprehendere potest, & ex qua realis ille & spiritalis partus, in fidelibus vocatur nova creatura, novus homo, in corde provenit & oritur. Nec aliter *Quackeris* prælaudens *Franc. Puccius*, celebris ille Naturalista, qui lucem divinam, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, Christum esse ait, & tamen alibi incorruptum DEI spiritum, nempe rationem ipsam vocat. Ut item prorsus docere *Puccium* cum *Barclajo* de Christo in nobis recte pronunciat *Colbergium* im *Platon. Christenthum* / Part. II. p. 632. Frustra igitur & contra claram *Puccii* literam Fanaticum hunc pro more suo excusare nititur *G. Arnoldus* Part. II. der *R. und R. Historie* p. 319. ceu nuper ei objecit celeberrimus *D. Jutigijs* Præf. ad *Reineccii* *Boëstianismum*. Neque obstat, de interiore Christo, quod objectat *Arnold.* loqui *Puccium*. Nam per hunc ipsum interiorem Christum, quod ignorare non poterat *Arnold.* rationem, quæ intra nos est, intellexit, seu Christum, hominem rationalem excitantem, moventem, monentem, ut *Cæsius* loquitur, *Puccius* & *Barclajus*, ceu ex antea adductis verbis sole clarius est. Quod si regeras, *Puccium* & *Barclajum* alibi manifeste exponere Christum in nobis de inhabitante in nobis per Spiritum S. Christo; tum dicendum est utrumque verum esse, Christum juxta Fanaticos illos in nobis esse ante conversionem, sicut semen quoddam ex

NATURÆ



*natura sua omnes*, adeoque & ipsos gentiles, uti verba Barclajj supra habuere, *ad bonum invisans & inclinans*, & post conversionem, dum intus in nobis formatus est, h. e. semini pravo, quod in nobis est, prævaluit, & tunc in nobis habitat & in nobis conversatur. Atque ita loqui & sentire Barclajum, simulque cum eo idem prorsus Weigelium, Schwenckfeldium, Hoburgium manifestissimum est. Imo hunc Christum in nobis esse ipsam illam, quam *Andr. Osander* tantopere extulit, justitiam Christi essentialem, ostendit *Dn. D. Bajerus* in Quack. 2. 2. Clarius Christi duplici hoc modo ante & post conversionem considerati differentiam proponit celeb. *D. Schelvigius* in Quack. Par. I. p. 156. ut & *Craesus* in Histor. Quack. p. 278. seq. Addantur *D. Nimejeri* Disp. Inaug. de lumine salutifero, omnibus hominibus congenerito. *Dn. Holtzhausens* Anti-Barcl. Cap. V. p. 308.

§. VII. Post conversionem & regenerationem inesse hominibus Christum etiam secundum substantiam peculiari modo, statim accepta fide, indeque justificatione coram DEO in momento posita, communis Theologorum nostratium sententia est. Quemadmodum enim ante peccatum in mundum introductum DEVS hominibus peculiariter præsens fuit, separatus vero ab eodem per peccatum, Es. LIX. 2. ita peccato nostro per poenitentiam & justificationem sublato reuertitur DEVS, adeoque & Christus in nobis dicto modo esse incipit juxta regulam: sublata causa impediens effectum effectus rursus ponitur. Non arbitror esse recensere multa Theologorum loca, cum vel ipsa conexio Capitum, in Theologorum Compendiis tradi solitorum, ostendat, quid de sequela Divinarum actionum, circaliberandum ex miseria hominem, eundemque saluti suæ restituendum, ex divino verbo doceant. *B. Königius* Christum in nobis justificationi subjungit, renovationi vero præponit. *D. Calovius* poenitentiam fidem in se Christum recipientem, tanquam partem complementem, subordinat, quam sequitur apud ipsum sanctificatio. Alii unionem mysticam vel effectum faciunt justificationis vel appendicem, sensu cum enumeratis plane eodem. Particularis est consideratio *D. Dannbaueri*, qui in Hodof. pag. 624. gratiam unitivam etiam gratiæ vocanti præmittit, eandemque ad affectio-



nes gratiae in genere consideratae refert, quanquam ita nihilominus describat, ut unionis illa gratia non nisi justificatis competere possit.

§. VIII. Eandem sententiam de inessentialitate Christi in nobis jam conversis quoad ipsam substantiam amplectuntur Fanatici omnes, sed sensu longe diverso. Imo nec inter hos ipsos de specialiter inessentiali modo convenit, eundemque alii crassius determinant, alii subtilius; ut acrius inter se de illo nonnunquam contendant & hostiliter quam ii, quos ipsi rixatorum vociferatorumque infami titulo omnibus paginis traducunt. Nihil dicendum nobis est de Valentianis, Cerdonianis, Marcionitis, Manichaeis, Motanistis, Messalianis, Enthusiasticis Veteribus, Elcasaitis, Bogomilis, aliisque, qui *regere* ista ex Platonica & Hermetica Philosophia hauserant, quorum historiam & cum hodiernis Fanaticis concordiam diligenter recensuerint Ministerium Tripolitanum in der Lehr und Schulschrisse / *Jessenius* in der aufgedeckten Laro / *Colbergius* in dem Platonischen Christenthum / *Nimejerus* de lumine salutifero, *Bajerus* in Collatione & Harmonia, *Calvoerius* in Fissuris, & qui reliquos omnes diligentia & accuratione superat, *Bächerus* in Mysterio iniquitatis, in denen Haupt-Gründen des Fanaticismi, & in Platone mystico, librisque aliis. E recentioribus post Reformationis tempora Fanaticis *Ezechiel Meib* & *Esaias Stiffelius*, & hic quidem scurra in maledicentiam & convicia monstrore profusus, ita Christum in fidelibus esse clamant, ut unam cum Christo illi essentiam & personam constituant. Ita *Stiffelius* in der küniglichen Antwort auff D. Webers Disputation p. 41. Christus und sein heiliges Ehe-Gemahl / seine Gläubigen / seynd nicht zwey / sondern wesentlich eins / unzertrennlich eine wesentliche Gerechtigkeit / Heiligkeit / mit Gott gang eins und in Ewigkeit zertrennlich / nimmermehr zwey. P. 43. Der gläubigen Braut ihr Herr / Mann und Gott / in ewiger unzertrennlicher Vereinigung mit Ihr / in Ihr / in persönlicher Vereinigung Gott und Mensch / heißet nicht anderst in allen Gläubigen als Christus Jesus / der lebhaftige Jehova und Dreyeinige Christus. P. 49. der Gläubige ist Christi persönliche Braut / in welcher als leheiligsten unzertrennlichen Vereinigung Christus in mit und durch uns



uns Menschen nimmermehr zwey / sondern über alle Ewigkeit eins seyn / bleiben eine jede Person unter Mann und weiblichen Geschlechte mit Christo vereiniget ein Christen Mensch recht und wohl getuliret und genennet werden / so daß der ewige Sohn Gottes ist in denen Glaubigen ein Schneider / Schuster / und dergleichen Handwerckamanns. P. 36. Wer durch die wesentliche Gerechtigkeit und Heiligkeit Gottes gerecht ist / der ist Gott / Er ist allmächtig / allweiß und anzubeten. Infecerat hic *Stiffelius* plurimos in Comitatu Gleicheni, ipsamque adeo Committissam, cui ideo mascule obviam-ivit *D. Ioh. Weberus*, Superint. Ortruffiensis, in brevi censura *Stiffelianismi*, inque Pseudo Christo Ocreato, An. 1624.

§. IX. Ex eodem numero eorum, qui Lutheranam religionem professi fuerant, erant *Paracellus*, *Schwenckfeldius*, *Weigelius*, quorum illi ipsam Lutheri ætatem attigerant, hic paulo post *Pharastias* suas vendidit. De quorum deliriis, eorum, qui adversus Fanaticos scripserunt, libri repleti sunt. Igitur memorandus nobis tantum est *Jacobus Böhmius*, Philosophus, uti vocari volebat, Teutonicus, quippe qui in nuperis de pietate certaminibus, Hamburgi imprimis, multum complurimis negotiis facessivit, ipsamque Ecclesiam nostram non parum turbavit; dum nec ad hunc usque diem desunt, qui tutorem hunc, tanquam divinum quoddam Oraculum, adorare non cessant. Ex illo *B. D. Hinckelmannus*, in 40. wichtigen Fragen / Quæst. XX. Ob Jacob Böhme nicht lehre / daß der gläubige Mensch wesentlich mit Christo vereiniget werde / und daß der innere Mensch mit Christo eine Person werde? Ad quod dum responder, qui sub literis *D. J. M. E. D.* latere voluit, quique citra dubium est *Joh. Jac. Zimmermannus*, etiam quendam Cancellarium Tubingensem scripsisse, daß der *H. Geist* die Gläubige durch Mittheilung seines Wesens / heilige; (de qua vero loquendi ratione, quæ Scripturaria est, sive de ipsa natura & essentia DEI, actionibus ejus & donis contradistincta, sive de qualitatibus DEO simillimis *Eph. II. 6.* *IV. 21.* intellexerit Cancellarius, non est quæstio) itemque *P. Crellium*, qui plurimis dictis comprobet, quod Spiritus in regentis essentialiter, ut in Christo, sit & habitet, omnesque cum Christo unum sint, *Ioh. XVII. 21.* extra oleas vagatur, cum de



eo sit solummodo controversia : An fideles cum Christo ita uniantur , ut unam cum eo personam constituent , ut adeo & ab hac unione fidelis de se quilibet dicere possit : *Ego sum Christus* , quod concedit Zimmermannus ? Nec enim Crellio Spiritus Christi ex fidelibus omnibus unam facit personam , neque quia Zimmermannus cum uxore & libris unum quid efficit , nempe unam familiam , ideo & unam efficit personam .

§. X. Postquam tenebrosa ista Böhmii Theologia plurimorum etiam e nostris animos ita invasit , ut id solum pro sancto divinoque reputarent , quod Böhmii deliramenta saperet , Christum quoque in nobis cum omnibus Fanaticorum additamenti recipere & defendere , imo cumulare pluribus nugis aliis coeperunt . Vtpote quod in nobis vere proprieque concipiatur , formetur , nascatur , crescat , patjatur , crucifigatur , moriatur , sepeliatur , resurgat , in caelum ascendat , atque ideo nos fiamus vere & proprie caro de carne Christi & ossa de ossibus ejus . Vocant hunc Christum internum , oppositum externo , qui in mera ejus praedicatione & noticia historica consistat . Talia in Fanaticis laudat *Arnoldus* , talia proponit ejus discipulus *Dippelius* ; talia in caelum evehit *D. Petersenius* , utpote : Christus werde in uns ohne Wortblum geböhren ; Er werde würcklich und wesentlich in uns empfangen / als in einer Mutter und warhafftig gebildet und geböhren : Ein gläubiger sey daher warhafftia Christi Mutter / und könne doch auch warhafftig von sich sagen : Ich bin Christus . Videatur *Bucherus* in der treuehertigen Warnung vor dem aufführischen Quacker Geist . Nobis licebit aliquos tantum Boemisticae Theologiae foscucos huc facientes excerptere . Et quidem ante omnia ex Arndiana quadam Epistola ( si quidem ejus est , quod non credo ) quam protulit *Arnoldus* Secul. XVII. p. 482. verba ita sonant . Das große Geheimniß von der Menschwerdung des ewigen Worts . Hierinnen wird Paracelsi und Weigelli Meinung vom Fleisch Adams und Christi nach den principis der Mystischen Theologie aus dem natürlich und Göttlichen Geheimniß gelobet und ausgeführet / auch insonderheit erwiesen / Das wir Christus als der Himmlische Adam auch himmlisches und menschliches Fleisch und Blut gehabt / also auch die warhafftig  
Wieder-



Wiedergeborenen mit einem neuen heiligen Geist und geistlichen Leib in und aus Christo angethan werden / mit dessen messendlichen Fleisch und Blut sie gespeiset und bis zur Göttlicher Größe erhehret werden. Dabey er aber bittet / diesen Brieff geheim zu halten / weil das Heiligthum nicht den Hunden gehöre und dem gemeinen Mann gnug sey zu wissen / was von Christo gelehret werde. Pro-  
*ducam etiam nonnulla hicce similia ex anonymo quodam, qui se vocat einen unpartheyischen / cujus sunt Erbauliche Theologische Sendschreiben / Anno 1700. edita, In iisdem p. 60. fatetur Böhmen Schrifften hätten ihm in Lesung der Bibel weit bessere Dienste gethan als alle Wissenschaften der hohen Schulen (cum tamen pretio interposito concendi possit, in grandi & præcipuo Böhmii opere, quod mysterium magnum inscripsit, vix unum inveniri paragraphum, qui etiam a sapientissimo intelligi possit.)*  
 Sein Leben sey 13. Tage in das ewige Mysterium verschlungen worden / und habe p. 112. die höllische Pein 8. mahl ganzer 8. Tage müssen erfahren / 7. mahl 5. und das 8. mahl 6. Stunden lang. Gott sey ihme / p. 18. von Angesicht zu Angesicht im Geist erschienen p. 21. Seelig der seine Seele in Jesu eingeführet / der wird an der Liebe fest kleben und vergöttert werden / p. 29. Die Seele ziehet durch das Gebet Gottes Kräfte aus Christo in ihre Begierde und isset also im Glauben von Gottes Wesenheit. p. 31. Wann sich Christus aus der äusserlichen Sinnlichkeit entziehet / so werde der innerliche Mensch starck und der äusserliche müsse in Gottes Weinberg in der Seelen tieff graben / nach dem lebendigen Glaubens-Quellen / welche Christus in uns sind. Dann wie tieffer wir im inneren kommen / je näher wir zu Gott kommen / wie ich selbst erfahren / daß wir Gott nicht allein von Angesicht zu Angesicht in Christo sehen / sondern auch von Mund zu Mund mit Ihm reden können. p. 267. Berichtet das ihr angenehmes Briefflein erhalten habe / und daraus ersehen / die vernünftige Schlange mit ihrer Zauberey / damit sie immer den Anti Christ wil auff den Thron setzen und leugnen / daß Christus Jesus in uns Mensch werde / leiden / sterben / und auferstehen und alle gefangene der Finsterniß in Fleisch und Blut gefangen führen solle. Der Historische Mund-Glaube thuts gewiß nicht / die Teuffel wissen auch / daß Christus des le-  
 B 3 beni-



bendigen Gottes Sohn sey / das Wissen aber macht sie nicht zu Engeln.

S. XI. Postrema hæc verba in mentem mihi revocant objectionem cujusdam, qui in Scheda quapiam, cuius titulus: *Ne de mit GOTT* / locutionem istam: *Christus in nobis*, prout illa ab his Fanaticis, nominatim *Dippelio*, usurpatur, hunc in modum ab heterodoxo sensu liberare nititur. p. 74. Der Autor stellet die blossen Meinungen nnd im Gehirn gefassete Concept der hohen Krafft und Wirkung Gottes in Uns entgegen / und erkennet / wie jene allezeit menschlich / mangelhaft und unvollkommen seyn / ja auch nicht eben selig machen ; und wie hingegen im Werke der Seeligmachung alles auff Gottes Werk in Uns / dem wir Uns gehorsamlich überlassen müssen / auslauffe / ob gleich mancherley Terminos der Mensch nicht begreiffe / fass und verstehe / oder auch habe. Hæc ille. Sed vero non satis firmo nititur fundamento hominis omnium fanaticissimi & religionis nostræ purioris hostis professi excusatio. Præterquam enim quod ipsa loquendi ratio, iis imprimis addicamentis vestita, quibus Christus in nobis verissime proprissimeque nasci, nosque cum ipso essentialiter & personaliter unum fieri dicitur, ejusmodi incrustationem non admittit, quippe quæ in naturali suo significato aliud longe præfert: excusatio quoque, qua Christus in nobis h. e. virtus DEI realis & efficacissima (quam essentialem & personalem stolidè vocant Fanatici) conceptibus intellectus, quos humanos & imperfectos dicit Apologeta, quæque hominem reddere saluum nequeant, vel falsa est, vel Fanatica. Nam conceptus ex Scriptura S. hausti, iique etiam nudi, eatenus quidem humani sunt, seu humanum quid patiuntur, dum eis deest ædificatio, ob quam tamen in intellectu concipiuntur; non tamen ideo omnimodo humani sunt. Sunt enim per virtutem divinam a DEO in intellectu per verbum effecti, hunc ipsum in finem, ut homini salutem concilient. Quamquam vero sine suo ob deficientem applicationem actu ipso destituantur, ex intentione tamen DEI, tanquam verum instrumentum & medium causale, salutem producere deberent. Itaque dum hanc virtutem apologeta conceptibus sacris derogat & soli virtuti divinæ, in oppositione ad  
con-



conceptus istos, adscribit, revera in Enthufiasmum, quicquid etiam contra protestetur, dilabitur. Scilicet virtus illa divina, quam laudat, aut operatur, quantum in se est, per conceptus illos, ceu vocant, cerebrinos, aut sine illis operatur. Si prius, ergo conceptus illi, in quantum tali uirtute hominis salutem operandi gaudent, sunt divini, non humani quid, cum causa non possit esse deterior suo effectu. Si posterius, veriffimus id erit Enthufiasmus, sine verbo quippe & sine conceptibus ex verbo haustus salutem hominis efficiens. Conceptus enim in re sacra, sine verbo & extra verbum DEI effecti, Enthufiastici sunt, ut ipsum nomen innuit, seu, ut in Articulis Smalcaldicis loquitur Lutherus, *sunt ipse Diabolus*. Sed qui illud est, quando Apologeta dicit; in negotio salutis omnia relinquenda esse DEI operationi in nobis? Sane aut hoc ita intelligitur: DEUM, salutem hominis promoventem, solum intra hominem operari, non extra eundem per verbum exterius vel lectum vel auditum. Et tum hoc iterum est ipsiffimus Fanaticismus. Aut intelligitur ita: omnia esse relinquenda DEI operationi tanquam Cause principali; & ita male hanc opponit conceptibus, qui sunt medium & causa instrumentalis procurandae salutis nostrae. Nempe ipsi Fanatici, aut Fanaticorum patroni sua interpretatione, se per illas ipsas locutiones suspectas Enthufiasmum in sinu suo fovere. Ipse Christus in nobis, h. e. per unionem mysticam nobis inhabitans, nihil in nobis agit sine verbo externo & conceptibus cerebri humani. Non enim tantum extra nos agit per verum, ut nos convertat & regeneret, sed & quando regenerati sumus, aut fit ita juxta Orthodoxos etiam Theologos orthodoxo sensu loqui velimus, quando jam natus & formatus est in nobis, non crescit, neque vivit in nobis, nisi per conceptus mentis ex verbo haustos, non moritur, neque resurgit sine illis. Cum igitur conceptus mentis, vel ut illi de his a DEO per supernaturalem gratiam, quippe ad finem supernaturalem, effectis donis atque muneribus, contentim loquuntur, cerebri humani, tanti sint in oculis divinis pretii, ut illi Christum tanquam vehiculum quoddam in nos vel intromittant, vel ad intromittendum a DEO destinati sint, & sine his Christus ad nos venire non possit, eumque



que sine iis nec quicquam DEUS in nobis operetur vel operari velit, sed omnia agat per conceptus istos tanquam divinitati suae nuncios & ministros, cur tam scabiose de conceptibus istis loquimur? Es seyn Meinungen / es seyn Hirn-Concepte / es seyn Buchstaben? da doch GOTT ohne dieselbe Hirn-Concepte weder auffer dem Menschen noch in dem Menschen nicht das geringste / sondern alles durch dieselbe / als durch seine durch den heiligen Geist in dem Worte Gottes geheiligte Werkzeuge handeln wil. Cum que adeo Fanaticorum Patroni Christum in nobis & conceptus mentis in operatione diveillant & soli Christo in nobis in oppositione ad conceptus mentis adscribant, quis non metuat, quis oculis suis non videat Enthufiasmum? Enthufiasmus enim est, cum DEUS aliquid in homine agit per semetipsum sine suo verbo.

§. XII. Quanquam vero, ceu dictum hactenus a nobis est, tam monstrosos variorum Fanaticorum *de Christo in nobis* conceptus plurimi, etiam eorum, qui a nostris partibus esse videri volunt, vel defendant, vel exculent, frustra tamen illi praesidium doctrinae suae in quorundam Theologorum nostrorum, cum veterum tum recentiorum, autoritate, qui eadem loquendi forma usi sunt, quaerunt, sensu quippe, quem illi faciunt, toto caelo a Fanaticis diverso. Quindecennium est, & quod excurrit, cum de hac Christi in nobis formatione & nativitate, ut & de aliis similibus loquendi formulis acriter inter se publicis scriptis contenderunt, ex una parte *M. F. Cramerus, C. F. Rango & D. F. Fabricius*, Sedinenses tum Theologi optime meriti, ex altera parte *D. J. E. Pfultus* tum quidem Theologus Güstroviensis, dein Neobrandenburgensis, de aula primum Güstrov. dein de Ecclesiis curae & procurationi ipsius creditis, praclarissime meritus, nunc etiam in coelis triumphans. Et illi quidem demonstrare annisi sunt in der Entdeckung und Wiederlegung Anno 1687. quod illa locutio: *Christus adhuc hodie in nobis nascitur*, infeliciter ex Epistola ad Galatas deducatur, quippe in qua id tantum pronuncietur, quod Paulus instar parturientis Galatas multis cum doloribus ad fidem priorem iterum regeneret, a qua per Pseudo-Apostolos, per legem simul justificari volentes, defecerant.

Quod-



Quodque in id omni nisi laboret, ut Christus in ipsis ueterem iterum formam acquirat, i. e. eandem salutarem de vera iustificandi ratione doctrinam iisdem restituat; quæ vero a nato in nobis Christo longe absint. Deinde ostendere satagunt, hanc loquendi formam in Fanaticorum Scholis natam esse & adultam, usurpatam quippe cupidissime a Taulero, Schwenckfeldio, Weigelio, Stiffelio, Metho, Arndio, Hoburgio, Postello, Rathmanno, Praetorio, Statio, Ammersbachio, aliisque, a cordatoribus vero Theologis in his ipsis, imprimis post enatas has controuersias, rejectam & condemnatam; qui vero ante mota ista certamina scripserint, securius locutos esse, ajunt. Vnde cum locutionem illam revocaret Dantisci Rathmannus, communi doctorum calculo eam fuisse rejectam, adeo ut Jenensis Academia, cum pro ista forma a Rathmanno, & D. Gerbardus adduceretur, in censura sua testetur, factum equidem esse Gerbardum, quod aliquando ea fuerit usus, sed ante motam publice litem, professus, se post hac ab eadem abstinere velle. Qua occasione etiam ad aliorum doctorum autoritates, utpote Tarnovii, Dieterici aliorumque respondetur. Denique provocarunt ad Theologorum summum consensum, Jenensium, Wittenbergensium, Regiomontanorum, Tubingensium, Dantiscanorum, Dannhaueri, Calovii, Reiseri, Lœberi & aliorum. E contrario vero D. Pfulius edita Apologia, quam *Orthodoxiam Phulianam assertam* inscripsit, Anno 1691. Responsa producit Facultatum Theologicarum in Academiis Lipsiensi, Rostochiensi (quæ tum quidem unico membro, B. Schomero, eruditione tamen & solido de controversiis judicio integra collegia æquante, constabat) Wittenbergensi, Kiloniensi, Gissensi, (tum extra suspensionem posita) Tubingensi, B. item D. Henningii Theologi Grifswaldensis, acerrimo in veris controversiis dijudicandis judicio polentis. Vbi Tubingenses: Ein anders ist / einer Redens Art in einem reinen und gesunden Verstande sich bedienen / eine Phrasin in einem irrigen und Witzes Wort wiederigen Verstande gebrauchen. Ein anders ist eine Weise zu reden / so von falschen Lehrern geführt wird / mit solcher restriction anführen / daß gleich daraus erhellet / daß kein Irthum dahinter stecke / ein anders / wann dergleichen verdächtig



verdächtige Wort schlechter Dinges ohne einige limitation adhiberet werden. Ein anders / wann bey bekanten ungezweifelten reinen Lehrern unserer Kirchen dergleichen Phrasen sich finden / ein anders / so in verdächtigen oder offenbahr falschen und Irrigen Schriften dergleichen eingeführet werden. *D. Henningius* vero notat, nasci & renasci, aut opponi morti spiritali, aut absentia manifestationis. Und so ferne könne es Christo zugeleget werden / wann derselbe in denen Herzen der gläubigen durch den Glauben angenommen und dafelbst gebildet / werde / so heisse es / Christus werde geistlich geböhren / nicht qua rem, sed qua manifestationem & receptionem nicht als wenn ER für sich und in sich einen Anfang des Lebens nehme / sondern weil ER in dem bekehrten Subjecto anhebet ein geistlich Leben / und in dem geistlichen Leben sich äuffert und sein Bild sehen lässet. Notat etiam, quoad *D. Gerhardum*, Er hätte seine Meinung nirgents geändert / oder widerrufen ob ER wohl anzeige / das ER geschrieben / ehe diese Streitigkeiten von Weigelianern erregt. Quæ vero Responsta ista in forma a se usurpata comprobant, ea adversus objectiones sibi factas fute defendit *Pfulius*, proque consensu clarissima Theologorum nomina allegat: *Lucam Ostandrum*, *Chemnitium*, *Gerhardum*, *Tarnovium*, *Scheiblerum*, *Baltb. Meisnerum*, *Cramerum*, *Dietericum*, *Job. Schmidium*, *Prucknerum*, *Dannbauerum*, *Ministerium Tripolitanum*, *Calovium*, *Wasmuthum*, *Varenium*, *H. Müller*. Eo usque disputatum fuit inter hos viros: ex quo tempore cum hanc similesque loquendi formas in majorem subinde abusum, qui Fanaticismo toti ebrii sunt, traxerint, ceu ex iis constare potest, quæ supra attulimus, ideo hanc de præsentia materia epioris fert *Dn. D. Schelwigius*: non ignoramus, aut difficemur, ex orthodoxis etiam Theologis, præsertim ante mota cum Weigelianis similibusque Fanaticis certamina, nonnulli de interiori & spiritali nativitate Christi egisse, per quam intelligebant gratiosum Domini in cor fidele adventum. A qua phrasî nunc cautiore facti, cum scriptura nullibi sic loquatur, ne de hæreticis opinionibus quomodocunque participare videamur, abstinendum esse censemus.

§. XIII. Ostendimus hæcenus, quam in varios errores tracta fuerit sententia de Christo, post conversionem etiam secundum



dum ipsam sui substantiam in nobis inhabitante, ab iis, qui Lutheranum nomen falso mentiebantur. Superfunt in hac ipsa classe Quackeri, a quibus universa ista, quæ hactenus recensuimus; *regata* enata sunt. Diximus supra, Quackeros asserere, etiam ante conversionem Christum in nobis, i. e. in omnibus hominibus esse, eosque ad conversionem commovere; esse tamen longe efficaciori ratione in jam conversis. Quam doctrinam *Georgius Keithus*, celebratissimus hujus Sectæ in Anglia Promachus, non sine certamine, cum quodam *Stockado* eo de argumento habito, ita dilucidavit, ut in ea ad hunc usque diem Quakeri acquiescant. Illam *G. Cræsius* in Historia Quacker. p. 278 seq. prolixè atque dilucide repræsentat, ad quem Lectorem B. brevitatè ergo remittere debemus. Id tamen ex ipso adduxisse juvabit: *omnibus & singulis*, juxta Quackerorum opinionem, inditum esse a DEO lumen, idque datum extrinsecus, positum in dominatu, ut rationi præsit, eamque gubernet; item Christum inesse habitareque in cunctis creaturis; item Christum inesse in impiis, sed occulte, ut haud absimilis sit ablato, ut inde Scriptura quandoque dicat, Christum in illis non esse. (Vnde aliquando rixæ inter Keithum & Stockadam propemodum capitales ortæ sunt de hac quæstione: Vtrum prædicare fidem in Christum, qui est in homine, & in Christum, qui extra hominem est, esset prædicare duos Christos? De quo Cræsius p. 450.) Est autem ita in iis, ut illis se peccato quasi vendentibus ac mancipantibus, Christus hinc ipse patiatur ac sepe ex infamia ac laceratione sui corporis usque eo afficiatur dolore ac supprimatur, ac si suffigeretur cruci. Hic Christus, quatenus homo ille divinus ac celestis & spiritualis, colendus & adorandus omnibus, non utique ut externus, natus e Maria. Hæc ille. Qui pari modo p. 160. de Jacobo Neyloro, sanctitatis fama apud Quackeros non parum celebri, refert, eidem Tremulantes acclamasse: *Pulcherrimus supra myriades; Filius DEI unigenitus; propheta altissimi; Rex Duxque Israelis; Iustitiæ sol æternus; Pacis princeps; Jesus, in quo Israelis spes posita.* Rogatus de blasphemis his titulis respondebat: *Non ut erat creatura, sed prout Christus habitat in se.* Tractatus ideo Londini ad grave supplicium, quod fuisse Historicus describit.



§. XIV. Atque ita eorum recensimus sententias, qui Christum in nobis per suam ipsam substantiam esse pronunciant. Qui quoad accidentia tantum hoc fieri dicunt, in duas iterum scinduntur classes. Nonnulli non aliter Christum in nobis esse & olim in Colossensibus & in Galatis fuisse formatum, quam quoad doctrinam de Christo & religionem Christianam, quæ inter ipsos ministerio Apostolorum prædicata & ab Ecclesiis illis fuerit recepta, affirmant. Ut adeo Christus in nobis, hodie esse dici possit, quando doctrina Eveangelica in nobis, i. e. intra nos, in Ecclesia nostra, in medio nostri floret & diffunditur; formari autem in nobis dicatur, quando doctrina veritatis magis magisque ad perfectionem deducitur, ut facies ejus talis appareat, qualis juxta verbi divini regulam esse debet: parturiri quoque, quando ab Ecclesiæ ministris, tanquam matribus quibusdam spiritualibus, magna cura, anxique diligentia producitur in lucem, inque suorum auditorum intellectu quasi generatur. Extendi hæc Christi in nobis existentia potest, non ad doctrinæ tantum salutaris propositionem, sed & effectus alios, ab ipsa doctrinæ virtute & efficacia promanantes. Ut Christus in nobis esse dicatur, dum verbum ipsius in nobis potenter operatur, non cognitionem tantum rerum sacrarum, sed & animi motus quoscunque, vel ad conversionem tendentes, vel conversionem operantes & perficientes, vel denique eandem insequentem.

§. XV. Alii vero Christum in nobis esse secundum dona sua, non secundum essentiam & substantiam contendunt. Quo in censu sunt Calviniani, qui præsentiam Christi juxta carnem sive universalem quoad omnes creaturas, sive specialem quoad fideles, sive specialissimam in Sacramento inficiantur. Et quoad mediam illam præsentiam nonnulli quoque e nostris ut omnibus notum est, iisdem adstipulantur. Qui quoties Christus extra Sacramentum vel nobis adesse, vel inesse nobis dicitur de variis id donis, cum sanctificantibus, tum ministrantibus, quibus fideles a Christo perfunduntur, intelligunt. Quin imo & ne quidem DEVM ipsum, sed dona tantum DEI in credentibus habitare, neque DEVM ipsum ad credentes venire, aut appro-



propinquare, aut ab iisdem etiam recedere, sed de donorum Divinorum collatione intelligendum hoc esse, asseruisse nonnullos, ex Formulæ Concordiæ Articulo tertio de Justitia fidei edocemur; imo adhuc postea, quoad determinatum hunc veniendi & recedendi modum & quosdam ex nostris id ipsum docuisse clarum est aus der gründlichen Wiederlegung des unwarhafften Gedichts Buscheri, *D. G. Calixti*; auß der Jenischen Theologen Erklärung/ Articulo de Vnione mystica: & longe fusius nuperime ex Tr. de unione mystica J. J. Mülleri, Senioris Augustani.

§. XVI. Vt igitur de hisce diversis admodum sententiis sobrium possit ferre iudicium, ante omnia Scriptura S., quam principii unici loco atque iudicis controversiarum agnoscimus, in subsidium vocanda venit, imprimis loci illius, qui de Christo in nobis ex instituto agit, curatior institui debet meditatio. Anhelantibus igitur nobis interiorum hujus loci Tractationem, Lector B. dabit veniam, si hisce caput primum finiamus.

## CAPVT SECVNDVM.

LOCI PRÆCIPVI COL. I. 27. RELIQVORVMQVE  
HVC FACIENTIVM CONSIDERATIONEM COM-  
PLECTENS.

### §. I.

**L**Ocus, qui titulum præsentis Disputationi præfixum ἐν τῷ ῥητῶν repræsentat, in Epistolæ ad Colossenses, primo Capite versu 27. exhibetur, ubi Paulus: οὗς (ἀγίοις) ἠθέλησαν ὁ Θεὸς γνωρίσαι, τίς ὁ πλῆθος τῆς δόξης τῆς μυστηρίῳ τῶν ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι Χριστὸς ἐν ὑμῖν ἡ ἐλπίς τῆς δόξης. Quæ verba Vulgatus & antiquus Interpres reddidit: *Quibus voluit DEVS noscere divitias gloria sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus in vobis, spes gloria.* Parum ab hac versione reliquæ



quæ omnes recedunt, nisi quod vel literam aliæ magis premunt, vel aliter distinguunt. Quas inter Smidiana novissima: quibus voluit DEVS notum facere, quæ sint divitiæ gloriæ mysterii hujus intergentes, qui est Christus in vobis, spes gloriæ. Plane expressit Lutheri interpretationem: welchen Gott gewolt hat kunt thun / wels Her da sey der (herrliche) Reichthum dieses Geheimniß unter die Heyden (welcher ist Christus in Euch) der da ist die Hoffnung der Herrlichkeit.

§. II. Ne autem accusari possimus, quod Scripturam adducamus truncatam, abscissam scilicet a toto sermonis contextu, consulenda sunt paucis antecedentia, eaque comparanda cum consequentibus, imprimis cum et inde intentio loquentis Pauli evidentiis cognosci possit. Quemadmodum Apostolus in tota hac Epistola id agit, ut Colossenses atque Laodicenos confirmet in doctrina fidei, ab Epaphra, ipso Paulo fortassis instructore ipsis tradita, rejectis ubique Judæorum ceremoniis, atque ad incrementum majus majusve in fide & charitate capiendum ipsos admoneat: ita in primo hoc Capite, post consuetam amicabilem admodum salutationem, primordia jacit dictæ Confirmationis. Tres autem sunt partes, salutatione non attenda, primi Capitis, quæ omnes ad statuminandam propositionem faciunt. Dum enim (I) suo & forte etiam Timothei nomine (cum in multitudinis numero; *ἐν πολλοῖς αὐτῶν* loquatur) gratias agit DEO pro fide ipsorum, a die statim auditionis verbi DEI per ministerium Epaphræ accensæ, v. 3. 8. uberiores progressum in notitia & vita ipsis apprecatur pariter ac precibus a DEO impetrare pro ipsis satagit, v. 9. 10. 11.; dum item ipsos ad gratiarum actionem pro illuminatione & deductione e regno tenebrarum ad consortium lucis adhortatur, v. 12. 13. 14. approbat utique doctrinam, qua imbuti erant, eamque tanquam indubitatam animæ salutem & peccatorum remissionem in sanguine Christi adferentem, firmiter tenendam esse monet. Idem pariter & Paulum velle manifestum est, quando (II) Christum tantæ ipsorum salutis autorem & fontem, non nudum hominem, in quo fiduciam nullam, aut certe non solidam ponere possent, sed verum DEUM verumque DEI filium esse variis ipsi assignatis attributis



butis evincit. Hunc enim salutis ipsorum auctorem & consummatorem, alpha & omega describit tum a divina natura, quando dicit: ipsum esse *εικονα & θεον* longe sane excellentiori modo quam primi parentes nostri, quippe *χαρκτηρα της υποστασεως & θεου*, Hebr. I. 3. Item *πρωτογονον πασης κτισεως*, v. 15. non eo modo, ac si ipse prima sit inter creaturas, hoc enim repugnat v. 16. ubi omnia, nullo excepto, in ipso creata dicuntur; nec non quod in ipso *τα πάντα & ενιδη & συνενης*, v. 16. 17. Tum & ab humana, unita tamen divina, natura, quippe secundum quam sit *κεφαλη* corporis Ecclesiae, primogenitus item ex mortuis, v. 18. Quia vero hic ita descriptus duarum naturarum heros non emolumento est ignorantibus inque malis viventibus operibus, argumentum beneficii summi in se collati Colossenses atque Laodicenos (his enim pariter immediate destinata erat Epistola; vide Cap. IV. 15. 16.) inde sumere debere pronunciat Apostolus, quod ipsi tales quidem olim fuerint, nunc vero per conversionem suam, ad Christum sint *αγιοι*, *εν διανοια* scilicet & *εργοις*, ut iuste observetur oppositio versus 21. & 22. Quod quanquam ineffabile sit bonum, non tamen inde securos fieri illos debere, putantes, se gratia excidere haud posse: nam ipsos quidem nunc esse inculpatos coram DEO atque tales Christi virtute manere posse, sed ea cum conditione, si maneat in fide, qua sanctitas irreprehensibilis continuatur, v. 23. S. Paulus inde (III) ostendit se ad praedicandum hocce Evangelium, ipsosque in fide roborandos, ministrum esse factum, non tamen sine afflictionibus, a Judaeis ob praedicatum gentibus Evangelium sibi illatis, in quibus enixe gaudeat, se in testimonium & exemplum *υπερηματα* afflictionum Christi implere posse; non quae Chs ut *λοτρον* meritorie perpeffus est, sed dicente *Si bonero nostro*, quae Christus sustinere debuit in membris suis, quorum sibi passiones appropriat, Act. IX. 4. Matth. XXV. 45. atque adeo ei hoc pacto, exemplo nempe suo & constantia, ipsorum fidei pondus & robor addere velle. In hoc enim se a DEO constitutum esse, ut utroque modo impleat sermonem DEI, v. 25. nempe ut sua opera expleatur promissio & praedictio divina, facta quondam de gentilibus convertendis & ad DEUM adducendis. Hoc enim illud



illud esse mysterium & consilium divinum, absconditum hactenus ab oculis gentilium, nec unquam anteriori tempore apud eos auditum, quippe qui sine spe salutis erant, nunc autem & ipsis revelatum, v. 26. Cujus mysterii summa & apex sit CHRISTUS IN NOBIS, quippe omnium divinorum beneficiorum inexhaustas in se divinas & spem æternæ olim in cœlo adipiscendæ gloriæ complectens. v. 27. Hunc unum esse finem prædicationis Apostolicæ, hunc unice tendere labores nifusque suos, hoc uno se sapientem & perfectum reddere quemlibet hominem in Christo Jesu, v. 28.

§. III. Jam unusquisque facillimo negotio perspicere potest, dictum, quod nos specialiter explicandum sumimus, ad partem pertinere capitis primi tertiam, ejusque membrum secundum, ubi Paulus actus Spiritu DEI grande aliquod & saluberrimum mysterium gentibus V. T. inde a mundo usque condito, imo quo ad claritatem revelationis & varias circumstantias, ipsamque adeo ejus exhibitionem, quotquot ante Christum incarnatum fuere, hominibus absconditum, nunc vero relatum non tantum Judæis, peculio olim DEI, verum etiam, o exuberantem DEI bonitatem! gentilibus, qui tamen gloriam immortalis DEI in similitudinem hominis & animalium irrationalium converterant, Rom. I. 23. seq. ut adeo præterlapso *αἰῶνας* tempore DEUS Apostolos miserit ad docendum mysterium suum de Christo, tanquam verum Christianismi fundamentum, omnes gentes, & ut notum faceret eis thesaurum seu ubertatem gloriosam mysterii, tempore novi foederis etiam gentilibus patefactam, Christum verum DEUM puta, non inter nos tantum, sed in nobis etiam existentem & habitantem, unde spem habeamus gloriam imprimis consequendi æternam.

§. IV. In verbis nihil est, quod sensum ob obscuritatem remorari possit. Mysterium de Christo, ex immensâ DEI gratia in carne manifestat, eoque ut universi orbis peccata tolleret, in ara crucis mortem obeunte, dein ad dextram DEI hunc in finem elato, ut ubique prædicatus toti mundo innotesceret, fide vero receptus gratiæ suæ thesauros recluderet, *τοῖς αἰῶνας*, seu *sanctis* notum voluisse facere DEVM dicit Paulus. *Johannes Davernanlius,*



nantius, Episcopus Sarisberienſis, cujus luculentus extat in Epistolam ad Colossenses Commentarius, intelligit per manifestationem illam revelationem Christi in cordibus fidelium, seu sanctorum, efficacem & salutem ipsorum operantem, oppositam revelationi illi, quæ fit in fidelibus & reprobis, quos quidem vult DEVS, inquit, ut illi quoque recipiant salutiferam doctrinam, sed vult voluntate approbante, non voluntate practica & operante. Sed quemadmodum sancti ut in Epistolis Paulinis passim, ita imprimis in earundem fronte, ubi sanctis se scribere Apostoli profitentur, non tam notant inhærenter sanctos, quam ad sanctorum cœtum vocatos, quos κλητὰς ἁγίους, vocatos Sanctos vocat Paulus, I. Cor. I. 2. sive vere illi sancti sint, sive sanctorum tantum cœtui per fidei professionem aggregati: Ita manifestatio Paulina, Dei nomine per ipsius ministerium facta, ad utrumque hominum genus æquo animo est directa & mysterium de Christo utriusque intellectui, quantum in se est, voluntate non approbante tantum, sed agente & operante, quantumlibet in infidelibus effectu destituatur, insinuat. Nam DEVS per ministros suos congregare vult etiam congregari non volentes, imo ministros suos occidentes, voluntate non otiosa, sed ita serio & ardentem congregatorum salutem operante, ut gallina pullos suos congregat, Matth. XXIII. 37. Id vero, quod notum se facere ait Paulus, est ὁ πλάττει τῆς δόξης ἡ μυστηρία τῆς τοῦ θεοῦ, opulencia glorie mysterii hujus. Dicit enim DEVM manifestasse, τίς ὁ πλάττει, quæ & quante (ut recte contra Vulgarum observant Valla, Varablus & Erasmus) sint divitiæ gloriæ? Divitiæ gloriæ sunt gloria copiosa, multa, effatim effusa, Tit. III. 6. Superabundans copia gratiæ & bonitatis, a DEO, qui dies est misericordia, nobis exhibita, Eph. II. 4. 6. πλάττει ἀνεξήγητος, divitiæ inpervestigabiles Christi. Eph. III. 8. quo nomine Divina gratia & nobis benefaciendi seu benedicendi omni benedictione spirituali in supracælestibus in Christo, Eph. I. 3. cupido frequentissime in Sacris describitur, ut ejus etiam longitudo & latitudo & profunditas & altitudo, quæ imple-



mur omni plenitudine DEI, prædicetur. Eph. III. 18. 19. *His vocibus comprehendit Apostolus, ait Schomerus noster, omnem Theologiam Christianorum, secundum omnes partes intelligendam, quibus nihil aliud dicit, quam quod cupiat omnia mysteria Divina & omne officium nostrum, quod DEO debemus, recte a nobis intelligi & ad praxin deduci.* Quid vero est, ais: *τῆς δόξης;* aut qualis hic gloria intelligitur, quæ tam frequenter cum beneficiis divinis eorumque divitiis in Sacris conjungitur? *Job. Davenantius* non incongrue observat, sicut divitiæ mysteriæ Apostolici possint vel ex parte DEI intelligi, ingentes nempe & admirabiles divitiæ Divinæ bonitatis, misericordiæ; gratiæ, beneficentiæ Tit. II. II. III. 4. vel ex parte hominis divitiæ sapientiæ, justitiæ, sanctificationis, redemptionis, salutis, I. Cor. I. 30. ita & gloriam complexe posse exaudiri, partim de gloria DEI, quæ beneficiis illis quammaxime illustretur, cum nihil gloriosius sit quam benefacere, & quidem nullo alterius merito; (quid enim gloriosius est, quam totum genus humanum, potentissimi hostis, Diaboli nimirum, tyrannide oppressum, ex miseria isthac eripere & tantum beneficium per Evangelii prædicationem omnibus patefacere? partim de gloria hominis, quia veram & æternam gloriam pollicetur fidelibus, imo per fidem eos ponit in præsentis possessione gloriæ, II. Cor. III. 7. f. Atque utrumque hoc gloriæ genus intelligi omnino posse, perquam verosimile ex eo reddi videtur, quod non nunquam in hoc ipso de divina gratia, ad salutem nobis nostram revelata, argumento DEI gloriæ disertâ fit mentio, ut cum Rom. IX. 23. *divitiis gloriæ suæ* manifestasse DEVS dicitur in vasis misericordiæ, quæ tamen illico ait DEVM *preparasse gloriam,* opposite ad ea vasa, quæ præparata sunt ad ignominiam, utraque nempe non DEI sed suam. Id quod amplius ex alio loco patet, ubi Apostolus profitetur, se per revelationem mysterii de Christo oculos intellectus aperire, ut cognoscant Ephesii, *quæ sint divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis,* Eph. I. 18. nempe ejus gloriæ, per quam toties beatitudo tum hujus, tum præcipue alteri-



alterius vitæ describitur, II. Cor. IV. 17. 1. Petr. V. 4. I. Theſ. II. 14. Rom. II. 7. Si quis tamen gloriæ vocem, cum in præſenti verſu bis occurrat, priore loco, ubi celebrantur divitiæ gloriæ, de gloria DEI, ex profuſis in nos beneficiis & communicata nobis myſteriorum ſuorum notitia dimanante, in poſteriore vero loco, ubi laudatur ſpes gloriæ, de gloria hominis, olim in cœleſti beatitudine ei conferenda, intelligere velit, idque ad analogiam paulo ante allegati dicti Apoſtoli, Rom. IX. 23. ubi pari proſus ratione bis in uno eodemque verſu uſurpatur, & priori loco DEI, poſteriori hominis gloriam indubitato notat, is neque quidquam dixerit inconveniens, & ſimul eam evitaverit objectionem, quod uno eodemque loco, una eademque vox, de uno eodemque ſubjecto enunciata, duplici ſignificato ſubſtet. Nec tamen hoc pacto vel ſenſui, vel emphasi loci noſtri quicquam decedet, quippe quæ hac *παραφρασει* repræſentari poterit: placuit DEO extremis temporibus, per me cæterosque Apoſtolos omnibus hominibus, imprimis vero vobis, olim gentilibus, quotquot per Evangelicam vocem vocati & ſanctorum communioni inferri eſtis, ampliffimis arcani DEOque glorioſi myſterii divitias, de reparatione generis humani per Chriſtum, de redemptione per Chriſti ſanguinem mortemque facta, de Spiritu S. gratioſa operatione, qua iſthac tanta beneficia per noſtrum miniſterium vobis applicare & ad ſpem cœleſtis vos gloriæ per fidem in Chriſtum deducere cupit, in publicam proferre lucem, veſtrisque auribus imo animis imprimere. Myſterium autem iſtud DEO vobisque glorioſum, ut uno me verbo expediam, eſt: CHRISTVS IN VOBIS, partim nempe objective, quia verſatur circa Chriſtum, partim per metonymiam effectus pro cauſa, cum divitias illas DEI gloriam & hominum ſalutem procurantes, ſuo merito nobis acquiſiverit, inque nobis adhuc hodie operetur.

§. V. Eſt igitur verba dicti noſtri, uti videre fuit datum, ſint clariffima, quoad interiorem ſenſum tamen nequam ſibi conſentiunt Interpretes, unica interim exiſtente



veritate, quæ proponenda est, rejectis opinionibus illi adversantibus, atque assumenda. Communis est distinctio inter falsas opiniones, quod aliæ plus, aliæ minus vero dicant, quæ sane si ullius, certe hujus loci est. Quæ plus prætendunt vero, in excessu peccare dicuntur, quæ minus, in defectu. Homines rationi nimis confidentes ac Christianissimum in externis saltem consistere sibi imaginantes, peculiare aliquid in verbis illis contineri, quo minus persuaderi possint, carnali securitate, Divina omnia parvi pendente, facile adducuntur. Creduli vero ex nimia sanctitatis specie monstrosa potius produxere deliria quam veritatis substantiam, quæ tamen ipsa tam obscure atque intricate proferunt, ut intelligi vix queant. Nobis igitur inter Scyllam & Charybdis navigandum erit, probeque cavendum, ne unum devitando incidamus in alterum.

§. VI. Non inficiamur, plerosque Interpretes tam e Pontificiis & Reformatis, quam nostrarum etiam partium, *Christum in vobis*, non aliter interpretari, quam Christum inter vos prædicatum, vel etiam ab iis, quibus prædicatus est, fide, assensu sive etiam salutari vivaque fiducia receptum. Inter Socinianos *Crellius* ad h. l. *Christus in vobis, i. e. doctrina Christi nobis gentibus annunciata & a vobis recepta.* Cui pro more suo consentit *Grotius*. Inter nostros *D. Calixtus* ad h. l. *CHRISTVS inter vos prædicatus & a vobis agnitus ut auctor salutis gloriaque.* Nec aliter intelligendi sunt, quotquot ex his concedere videntur, Apostolum dicere voluisse, Christum non tantum inter Colossenses, sed & in Colossensibus fuisse & habitasse, cum id intelligere non possint secundum se, cum Christum juxta substantiam suam cælo concludi doceant, sed secundum dona sua, quæ inter præcipuum est salutaris Christi notitia. Hinc *Schlickebingius*, Socinianus, ad h. l. *Christus in vobis, nempe gentibus, per fidem in vobis habitans & vos donis suis omnibus æque ac Judæos in se credentes complectens.* Præcæferunt ex antiquis Photius: *διὰ τῆς πίστεως, ὡς ἐν ὑμῖν* *ἐστὶν ἡ διὰ τῆς πίστεως.* Item Theophylactus; *Mysterium Christi*



i. e. cognitio illius. Nec diversum ab his sentit superiori ætate Flacius in Glossa, cum locum ita exponit! *declarat Apostolus, quid contineat istud mysterium, nempe esse doctrinam de Christo, inter ipsos predicato & de spe futura glorie, nempe per istum ipsum Christum accipiendo.* Nititur interpretatio duabus rationibus, alias hæud contemnendis, quarum una ex ipso textu petitur, in quo particula: *ἐν*, in immediate antecedentibus verbis non existentiam in gentilibus substantialem, sed prædicationem inter ipsos denotat, cum dicuntur, *voluisse DEVM notas facere divitias glorie mysterii hujus, ἐν ἔθνεσι*, non in gentibus, sed *inter gentes.* Quare necesse esse videtur, ut & in sequentibus illico verbis particula *ἐν* eandem significationem subeat. *Χριστός ἐν ὑμῖν*, Christus non in vobis, sed *inter vos.* Altera ratio ex parallelo loco desumitur, 1. Tim. III. 16. ubi Chs predicatus dicitur *ἐν ἔθνεσι*, *inter gentes*, & creditus in mundo. Quod nihil diversum forsitan erit ab eo, quod de Colossensibus dicit Apostolus, notum esse factum Christum inter gentes & ab iisdem ita receptum, ut inter eosdem quasi habet & converteretur. Quæ expositio si certa esset, elidi possent sola illa fere omnes illi fanatici & cerebrosi conceptus, quos sibi de Christo in nobis fingunt formantque, qui Böhmiſtico Stiffelianoque furore & mentis infania agitantur. Verum ex infra dicendis apparebit amplius, *μυστικώτερόν τι* illa loquendi ratione omnino indicari. Nec enim obest, quod alibi Christus dicatur predicatus gentilibus, quippe & ipsum hoc loco etiam fieri adeo non negatur, ut ipsa potius litera id in sese contineat: *notum fecit DEVS mysterium, quod est Christus.* Neque impedit, particulam *ἐν* uno in versu diversimode accipi, cum id ipsum insolens non sit. Videatur Matth. II. 22. XXVI. 29. Rom. III. 27. II. Cor. V. 21. Conf. D. Glass. Rhet. p. m. 529. seq.

§. VII. Igitur non immerito celeberrimus exegeta, D. Schmidius, simplicissimum dicit esse, si per *ἐν ὑμῖν* intelligatur, non *inter vos*, sed: *in vobis*, ut adeo insinuetur per illam ipsam noticiam mysteriorum divinatorum accepisse Colossenses ipsam-



met Christum, qui nunc in iisdem etiam secundum substantiam suam habet, atque adeo in eorum animis spem excitet aeternae gloriae & beatitudinis. Nihil elegantius est, quam cum hanc doctrinam illustrat collatione loci Apostolici, I. Cor. XIV. 24. ubi dicuntur prophetantes, h. e. mysteriorum divitiarum notitiam in auditorum animis excitantes, per ipsam hanc Propheticam & mysteriorum notitiam infidelibus & laicis ingenuam confessionem exprimere, *ὅτι ὁ Θεὸς ἄντας ἐν αὐτοῖς ἐστὶ*, quod DEVS verissime in illis sit: ita & hoc loco per eandem mysteriorum *γνώσιν* Christum in Colossenses illapsam esse & indubitam ipsis salutis spem facere, colligere debebant. Quam sententiam huius loci esse vario argumentorum numero, quanquam non æquo pondere, jam sumus comprobaturi. Nec enim necesse est, præmissis argumentis firmo, ut reliqua semper per se faciant fidem nulli dubitationi obnoxiam, uti haud ita pridem ex Dn. Præfidis, Patroni atque Præceptoris mei inter mortales optimi, non sine delectatione percepi.

§. VIII. Qui sensum in ipsa litera habet, is tanquam in invicto munimento consistens inde detrudi nullo armorum genere, nisi quod munimento sit fortius, potest. Nihil tamen impedit, quo minus sententia satis efficaciter probata, aliis quoque argumentis, quanquam infra prius illud robor positis, confirmetur. Hinc *primum* & principalissimum argumentum desumemus ex regula S. Scripturam interpretandi generalissima: retinendam esse propriam significationem, nisi impropriam evidentissima svadeat ratio. Jam autem nulla evidentissima est ratio a proprietate literæ recedendi, cum nec scopus dicentis, nec antecedentia & consequentia, nec ipsa materia, nec analogia fidei eam deferere præcipiant, sed potius omnia conspirent, uti in subsequenter ostensuri sumus pluribus. Quod vero nostra explicatio sit maxime propria, probamus ex eo, quia audita vel lecta propositione: *Christus est in vobis*, unusquisque statim iudicat, sensum esse talem: Christum ipse quoad substantiam est in vobis, & quidem



dem eo modo, quo non simul est in aliis. Equidem particula: *ἐν* varias habet significaciones, conveniens in eo Hebræorum: **ב**; tamen significacionem: *in*, maxime ei propriam esse omnes mihi concedent, cum ex usu id pateat, penes quem est vis & norma loquendi. Imo si vel maxime ex usu puritatis Græcæ lingvæ apud Græcos præsertim Gentiles *in-ter* denotaret, nullus dubito, propriam hic retinendam esse, cum Scriptura S. ex gentiliū scriptis non explicari debeat, imprimis ubi alias res sit convenientissima,

§. IX. *Alerum* subministrare nobis poterit argumentum mysterium, hic loci insinuat. De voce mysterii varias cogitationes invenies apud Lexicographos, haud minus quam Interpretes, quorum tamen sententias nec audire juvat, nec examinare. Sufficit undecunque illam deriverent, rem quandam occultam abstrusamque in ipsa vocis origine eosdem invenire. Nam qui ex lingua Hebraica originem deducunt cum Casaubono, Flacio, Drusio, Pasore, aliisque, & quidem a רחמיהו, unde nomen auctum ab initio ex literis Heemanticis מ, habet: מסתר, quod nomen literis Græcis Græcaque terminatione expressum esse *μυστήριον*, occultationem aperte insinuant. Interim hæc derivatio non una ratione castigatur, utpote a *D. Mauritio*, hujus Academiae olim Theologo, ex ea ratione, quia Hebræorum מסתר respondet Græcorum *μυστήριον*, ut sic scribendum esset *μυστήριον*; per: *Θ* non *μυστήριον* per *ς*, Conferatur ipsius Diss. ex utroque Testamento asserito §. 1. a *D. Schomero* vero, pariter nostro, Diss. de diff. Unio. Perf. & myst. Sect. 1. §. 11. quod litera Canina: *ק*, in voce Hebræa radicalis sit, in Græca servilis; denique a *Martino* in Lexico Phil. quod Rabbini ipsi scriptione sua gemina: מסתורין & מסתורין, testentur, peregrinam esse vocem: Qui vero ex Græco, quæ sententia & communior & (quanquam renitente *D. Mauritio*) verisimilior, deducunt, ipsa voce pariter latens quid & absconditum produnt. Nos abundare jubemus quemque sua opinione, cum res sit parum momenti habens, de usu loquendi res certior est. Gentiles sumfere mysterium  
pro



pro re sacra quidem, tamen celanda, occulta, secreta, testantibus id gentilium scriptoribus passim. Celabant enim studio gentiles res sacras. Sapientioribus quippe probe constabat, eas nullo subnixas esse fundamento, quarum tamen opinio veripartim ad domandum populum respectu Politicorum in eminentia constitutorum, partim ad lautum vitae genus agendum respectu sacerdotum; necessaria erat quam maxime. Ex usu vero Scriptoribus S. recepto significat doctrinam supernaturaliter a DEO traditam atque alias haud cognoscibilem, adeoque rationi occultam, abstrusam, absconditam, quamquam post revelationem nequaquam celandam. Quo supposito ultro patet, per mysterii vocem in loco nostro confirmari explicationem de inexistentia Christi in nobis proprie tali. Nullum enim dubium est, hancce doctrinam mysterium magnum esse, ex ratione plane non hauriendum. Nisi enim Christus in emolumentum nostrum omnium promississet, se peculiariter inexistere velle credentibus, eosdemque tanquam templum suum inhabitare & permeare, illudque per Scripturam S. nobis haud manifestasset, nemo eam sibi polliceri unquam potuisset. Quinque mysteria in unione consistentia religionem Christianam maxime habere, quorum primum est inter Personas divinas, secundum inter duas Christi naturas, tertium inter rem Sacramenti terrestrem atque coelestem, quartum inter DEVM & fideles, quintum inter fideles ipsos, partim mediate per fidem in Christum, partim immediate per charitatem; commemorat *ὁ πᾶν* noster *Schomerus*, I. c. ubi quarta classis mysterium haud minimum exhibet, sub quo cum Christus verissimus sit DEVS, nostrum continetur. Est enim mysterium magnum tum respectu aliorum, quae non ita plene planeque a ratione abesse videntur, tum in se & ratione fructus, dum tantam ubertatem amoris Christi erga nos ostendit & effundit, ut dici non possit. Dicit fortassis quispiam, etiam praedicationem gentilibus factam esse mysterium, quippe praeter consuetudinem foederis antiqui factam: rehero, unius positionem non statim afferre



afferre alterius exclusionem; coordinata sunt prædicationi gentilibus facta & existentia Christi in nobis. Per auditum enim uerbi est fides, & data fide datur Christi inexistencia. Præterea si quaelibet vox ordinarie in eminentissimo suo, quem in Scriptura habere solet, significato juxta regulam exegeticam merito accipitur, eminentius mysterium est, Christum non tantum salubrem suam doctrinam in Ecclesiam suam diffundere, perque eandem spem eidem indubiam facere cœlestis gloriæ, olim inter beatos adipiscendæ, sed ipsa quoque; Persona sua & substantia animabus corporibusque nostris præsentem esse & quemcunque fidelem in individuo intra se alloqui, ad amorem sui & quodcunque Christianæ charitatis officium inflammare, in calamitatibus & persecutionibus solatia in genere, in tentationibus erigere, eundemque illæsum & immaculatum aduersus Diabolum, mundum & carnem conservare. Ut majore solatio perfunditur, certiusque in periculis auxilium ab amico expectat, qui in ipso conclavi eundem præsentem habet, quam qui saltim in eadem urbe secum habitat, quanquam ad opem ipsi ferendam perpetuo sit promptus atque paratus.

S. X. Quæ porro in textu nostro sequuntur, ad eandem emphasin & eminentiam mysterii exprimendam non minus faciunt. Nec enim Apostolus verba satis notantia invenire & corradere potest, quibus mysterii hujus majestatem describat. Vocat *πλεῖστον τῆ μυστηρίῳ*, ut non tantum magna abundantia effudisse Christum in Colossenses beneficia sua per Evangelii prædicationem, non destitendo illos nullo bono & benedicendo illis omni benedictione in supracœlestibus in Christo, sed etiam beneficiorum omnium culmen & fastigium, ipsum Christum, o quantam quamque immensam & ineffabilem rerum omnium opulentiam! in ipsos ita dedisse intelligas, ut ipsum intimis quasi animarum tuarum fibris amplecti posse recte dixeris, neque ab ipsis Jacobi exemplo, relinqui sine benedictione. Vocat porro *πλεῖστον τῆς δόξης*, *divitias gloria*, ex quibus nempe gloria



divinæ bonitatis, misericordiæ, gratiæ, amoris, nullo hominis merito in eosdem effusi, tanquam in vivo speculo eluxerit. Nec vero majori cum eminentia & majestate prodere se hæc gloria poterat, quam cum DEVS & Servator noster eousque se demitteret, ut non tantum revelando Evangelio, tanquam bono summi amoris divini unncio, charitatem erga nos suam predicaret, Rom. V. 8. sed ad nos etiam quoad personam suam propius accederet, nosque inhabitaret. Grande affectus documentum est, cum Princeps non immerentem tantum, sed qui eundem flagitiis ipsoque læsæ majestatis crimine offenderat, gratiæ suæ per ministros certiolem reddidit, longe vero grandius gratiæ documentum est, si ipsa Principis persona ad majestatis suæ contemptorem accedit, eundem circumplectitur, eidem oscula figit, apprehendit manus, jucundis colloquiis reficit, in familiam suam adleiscit, præsentem omni officiorum genere perfundit. Talis est DEVS & Servator noster Christus in nobis. Vocat eundem Christum spem gloriæ, per fidem iminota fiducia impetrandam. Jam vero longe firmiori fundamento ea spes nititur, quæ quotidie a veracissimo, qui mentiri non potest, inque nobis præsentissime existente, corroboratur, quam cum per alios, quantumlibet veritatem prædicantes, eam spem implantare solent, id quod exemplis quotidianis ipsoque experimento edocemur. Vocat denique mysterium *Ταῖς ἀγίοις* sanctis manifestatum. Quo vero propius quis DEO conjungitur, divinæque naturæ, ut Apostolus loquitur, particeps fit, eo majorem ab illo sanctitatem trahere & in illius quasi indolem abire præsumitur. Ita comprobatum est, singulas textus nostri circumstantias, eminentius, illustriusque mysterium arguere, si litera in nativa sua proprietate, quæ Christum ipsa substantia sua sanctos inhabitare enunciat, intelligatur, quam si per nudam prædicationem inter sanctos suos versari & salutis negotium peragere dicatur.

§. XI. Majus his omnibus pondus addit reliquarum scripturarum consensus. Illæ enim alibi etiam locorum *Christum*



in vobis vel diferta litera prædicant, vel manifesto sensu. Diferte quidem ipse Servator noster, Christus ad discipulos suos, ipsorumque nomine ad omnes alios fideles: *In illa die vos cognoscetis, quod ego in Patre meo, & vos in me & ego in vobis.* Joh. XIV. 20. *Ego, inquit, Christus in vobis.* Frustra, ut ad hunc locum notat *Nifanius*, a litera recedit *Grocius*, de conjunctione presentanei auxilii, discipulis præstandi, deque discipulorum obedientia & fide exponens. Quæ cum illa comparatione, quod ut Christus in Patre est, ita discipuli in ipso sint, nexum nullum habent, comparationis potius membra, quousque possunt & Scriptura admittit, extendenda sunt, ut quemadmodum secundum ipsam essentiam & substantiam Filius est in Patre, ita eadem ratione Christus sit in discipulis suis. Qua in veritate manendum est, donec evidentissimæ rationes, quæ h. l. excogitari non possunt, nos inde detrudant. Plane eundem in modum Joh. XVII. 23. *Vnum sumus, ego in discipulis, & tu in me.* Vbi tam frequens comparatio unitatis cum Patre & gradatio, qua ab uno unitatis moralis gradu ad alium, eumque arctiorem, ascenditur, solam affectuum unionem designare non potest. Videatur denuo *Nifanius*. Nec minori cum virtute Apostolus Paulus Corinthios semetipfos explorare jubet, annon ipso sensu quasi cognoscant, *quod Christus sit in ipsis?* II. Cor. XIII. 5. Laudaverat antea operationes Christi in ipsis, generali *vica*, spiritualis nempe, nomine in insinuat, atque ex iisdem non minus existentiam Christi in ipsis colligere jubet, ac ex suamet prædicatione, tanta virtute in ipsis fidem operante, immote concludere deberent, *τὸν ἐν αὐτοῖς λαλῶντα Χριστὸν, in ipso loquentem Christum, v. 3.* Notanter dicit, non *δι' ἐμῶν, per me* quod poterat de virtute loquendi, Apostolo per Christum communicata, intelligi, sed: *ἐ ἐμοὶ in me*, quod non potest aliter, nisi cum *Hammondo* ad h. l. præsentiam tantum efficaciam Evangelicæ intelligente, omnes loquendi regulas susque deque habere & pedibus conculcare velimus, quam de Christo in Pau-



lo quoad ipsam substantiam existente & adeo per ipsum loquente intelligi.

§. XII. Quæ vero Scripturarum dicta non quidem secundum ipsam literam, tamen quoad evidentem sensum *Christum in nobis* prædicant, id de illo enunciant, ex quo existentia in Christo necessario consequitur. Primo hic loco producimus τὸ *venire Christi ad nos*, Joh. XIV. 23. ubi Christus adventum suum promittit servantibus ἐντολῶς ipsius, qua voce Evangelium imprimis indigitatur argumento, dictorum Joh. VI. 38. 40. Rom. I. 5. cum Christus non fuerit ex directo divini consilii instituto prædicator legis, Es. LXI. 1. seq. Per hunc adventum juxta ipsam literam intelligitur approximatatio ipsius Christi præsentia ad hominem fidelem, servantem Evangelium Christi, ita ut adsit Christus fidelibus post adventum ipsa substantia sua aliter, quam antea fuerat. Provocatur merito ad primum conceptum, quem unusquisque audita, vel lecta voce illa primum sibi in intellectu format; aliam qui postulat probationem, ejus absurdi merito arguitur, quod DEVM fingat aliter in scriptura loqui, aliter se intellectum velle. Adventum hunc immediato nexu consequitur existentia Christi in nobis, quia veniens ad nos in puncto adventus incipit existere & esse apud nos. Neque obstat, quod Christus saltim dicatur venire πρὸς ὑμᾶς, non vero ἐν ὑμῖν, vel εἰς ὑμᾶς; ita enim venit ad nos, ut sit in nobis, ut Pater est in ipso, Joh. XIV. 20. ut per adventum istum fiamus participes non præsentia tantum istius, sed ipsiusmet θείας φύσεως, divina natura, II. Petr. I. 4. Porro adventu amici nostri facti apud nos, eoque existere pergente, manere Christus dicitur; mansio enim est existentia rei permanens: ita Christus manere dicitur in nobis, quando post adventum permanenter in nobis existit. Hinc Christus Joh. VI. 56. qui *edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in illo*. Si de Sacramentali manducatione & bibitione sermo esset, quod cum *D. Calixto*, plures alii contendunt, nominatim in hac Academia *D. Affelmannus* (videatur Appendix Scripto-  
rum



rum ipsius p. 287.) quo nomine eundem tacite notat *D. Paulus Tarnovius* ad h. l. Joanneum; supponereturque ex catholica Ecclesiae nostrae doctrina vera substantialisque corporis sanguinisque Dominici praesentia, eorundemque oralis comestio & bibitio: indubitarum foret, Christum in communicantibus vere & substantialiter inexistere. Sed malumus & nos cum *Tarnovio* communiorem sequi sententiam, rationibus nixi a Theologis passim adductis. Posita tamen spiritali per fidem, (qualem ipse Christus insinuat v. 35.) manducatione, nihilominus assertio Christi indubitata persistit: *ego in illo maneo*. Non dicit apud ipsum, vel cum ipso, sed: *ἐν αὐτῷ, in ipso*. Quod *ἐν* toties repetitum non sine summa temeritate ex propria significatione in impropriam detruderetur. Mansio si diuturna est plerumque est habitatio: hinc verbum habitationis inexistenciam pariter supponis. Citamus vero hic eo liberius dictum jam allatum ex Joh. XIV. 23. quia ibi & adventus, & mansio indigitatur, illo priore hac posteriore existente, quo ordo eo melius observaretur. Locutionem desumptam esse ab hominibus, domos inhabitantibus, quas tanquam proprias possident, idque tam diu, donec interponatur impedimentum, cuique patere potest quam facillime. Sic Christus inhabitare dicitur sanctos, suo sanguine emtos pretiosissimo in peculium suum, quae inhabitatio tandiu durat, quousque per peccata voluntaria nulla interponitur fidei amissio. Neque obstat, quod Christus dicitur habitare *παρ αὐτῶν, apud fidelem*, non in fidei. Qui enim apud Titium habitat, is in ipsiusmet domo habitat. Quemadmodum DEVS & apud Israelitas habitavit & in ipsorum simul templo habitavit: ita Christus sic est apud fideles suos, ut simul in ipsis tanquam *in templo habitet & ambulet*, quod non potest intelligi apud templum, vel circa templum, H. Cor. VI. 16. imo ut habitet in ipsorum cordibus, Eph. III. 17. in iisdem vivat & operationes suas exercent. Gal. II. 20.

§. XIII. Quae omnia singulaque ob signamus illustri dicto Petrino, quod idem quoad rem cum superioribus dicit,



cit, dum fidelibus consortium tribuit divinæ & speciatim etiam Christi naturæ, II. Petr. I. 4. Equidem *Aretius* in Commentario & *Leighius* in Critica S. consortium hoc *Φύσεως* ponunt in similitudine nonnullarum qualitatum, e. g. immortalitatis, sanctitatis, similibusque. Verum eo modo haud possemus consortes dici ipsius divinæ naturæ, quia essentiam admodum improprie posita esset pro qualitatibus ad essentiam pertinentibus. Sumitur vero *Φύσεως* vox ordinarie pro essentia atque forma rei juxta usum Scripturæ S. frequentem, Rom. I. 26. 27 II. 14. 27. Gal. II. 15, Eph. II. 3. II. Petr. II. 12. Jud. v. 10. a quo hoc loco recedere nihil nobis svadet, nedum cogit. Id tantum dubium est, an de Spiritu S. Petrus loquatur, cum ut huic καὶ οἱ νοβοπίαν̄ dona, de quibus in antecedentibus & consequentibus sermo est Apostolo, tribuuntur, illa quoque ad illius naturæ participationem respectum habere admodum vero sit simile. Neque vero hanc sententiam, quæ apud *D. Gerhardum* in absolutissimo in Epistolas Petrinæ Commentario plurimorum gravissimorumque Theologorum est, ullo modo impugnabimus, sua tamen probabilitate non destituitur & pietatis se cum primis nomine commendat antiquorum sententia, qui respectum & hic haberi ad humanam Christi naturam ex eo existimant, quod isthæc communio divinæ naturæ inter ἐπαγγέλματα seu promissiones N. T. fidelibus sanctas a Petro numeretur, ut adeo participes reddamur divinæ naturæ, quia divina Filii Dei persona humanam nostram naturam assumpsit, nosque ita per hanc conjunctionem, per quam Christus frater noster & caro de carne nostra factus est, nos necessario in communionem veniamus divinæ ipsius naturæ. De quo celeberrimum Theologum & Biblicorum mysteriorum atque difficultatum explanatorem felicissimum, *D. I. P. Grünbergium*, Præceptorem meum pie colendum, in Coll. Exeg. Ascetico fufius audivi disserentem. Nos in præsentia in unius alteriusque Patris allegatione acquiescemus. *Gregorius Nazianzenus: Filius*  
*DEI*



DEI carnis nostra paupertatem subit, ut nos divinitate ipsius locupletaremur. Athanasius: DEVS factus est homo, ut nos in se ipso Deificaret. Augustinus: DEUS factus est participes mortalitatis nostra, ut nos participes faceret divinitatis sua. Anselmus: ad hoc DEUS factus est frater noster, ut quemadmodum ipse dignatus est confors fieri nostra humanitatis, sic nos mereamur consortes fieri sua divinitatis. Haecenus illi.

§. XIV. Demonstravimus haecenus, illam usurpatam ab Apostolo loquendi formam: *Christus in nobis*, non nudam Evangelicam doctrinam inter nos praedicatam & receptam, sed praeterea peculiarem Christi, etiam quoad substantiam suam, in nobis praesentiam omnino involvere & complecti. Cum vero locutioni illi, *Christus in nobis*, quam simplicem dixeris, alia quaedam quasi composita: *Christus formatus in nobis*, perquam sit affinis, qua non minus Fanaticum hominum genus, hodie cumprimis, foede abutitur, imperfecta videri tractatio nostra posset, nisi & huc considerationes nostrae oculos converteremus. Id quod tamen pro instituto nostro breviori longe ratione expedietur.

§. XV. Locum, in quo locutio reperitur, idem exhibet Paulus Gal. IV. 19. *τενία μὲ ἀγαπᾷν ὡδὴν, ἀρχεὶς ἔμογε Φαθῆν χριστὸς ἐν ὑμῶν.* In tota hac Epistola id agit S. Apostolus ut Galatas per Pseudo Apostolos a veritate Evangelica ad leges Ceremoniales deficientes & jam lapsos restituat. Speciatim ut justificationem veram pariter atque divinam iterum animis eorum ingerat. Vnde statim ab initio Cap. I. & quod tam cito ad aliud Evangelium transgressi sint miratur, cum tamen id ipsum unicum, per quod salvari oporteat Evangelium sit, in tota coeli atque terrae machina existens. Fidem sui asserti facit (I) Per provocationem ad divinam ejusdem originem, cum illud didicerit per revelationem supernaturalem ipsius Jesu Christi, v. 12. qua occasione vitam tuam tum ante, tum post conversionem, imprimis itinere sua ad idem ubique Evangelium propagandum susceperat, enarat. Idem probat (II) per exem-



exemplum Titi, qui incircumcisus manserit, Cap. II 3  
 omniumque Gentilium, ejusdemque doctrinæ propagationem  
 a se factam, tum adversus falsos fratres, tum alios Aposto-  
 lorum vel Hierosolymis in Concilio, vel Antiochiæ con-  
 stitutorum. Ostendit (III) probatque Gentiles ac Judæos  
 justificari non nisi per fidem, atque hanc doctrinam a Ga-  
 latis merito fuisse receptam, quippe & clarissime ipsis ante  
 oculos pictam, Cap. II. 15. seq. III. usque v. 3. Subsequens  
 (IV) argumentum ab Abrahamo clarissimum est; uti enim  
 ille justificatus est, ita & nos justificari debemus, v. 6. 9.  
 Svadente id quammaxime contrario legis usu, v. 10. asser-  
 toque Habacuci, v. 11. 14. Ostendit (V) suum propositum  
 Apostolos ex testamento DEI immutabili, v. 15. seq. Ne  
 tamen aliquis existimet, legem esse contrariam Testamento  
 DEI, objectionem formata v. 19. 20. 21. verum usum usque-  
 ad finem Capitis exponit, inque sequenti, novo simili po-  
 puli Judæorum cum pupillis illustrat, v. 1-10. Adducit (VI)  
 Paulus suum laborem, in Evangelizando ipsis præstitum,  
 qui frustraneus futurus esset, si per observationem mensium,  
 temporum & annorum justificari velint, suumque exem-  
 plum intueri jubet in rejectione legum ceremonialium, pro-  
 que ipsorum in se amore (qui antea in ipsis oculis,  
 cum ipse Evangelium in humilitate & persecutione prædi-  
 caret, tantus fuerit, ac si esset Angelus DEI) petit, ut &  
 jam juxta illum affectum veritatem ab illo recipiant, v. 11-14.  
 Quo cum labore Pseudo-Apostolorum Zelus, quippe in re  
 mala existens, ne quidem comparari possit; se vero ipsos  
 toto nisu animoque, imo magno cum dolore iterum partu-  
 rere, donec Christus in ipsis ad priorem faciem iterum  
 formeretur, quod ipsum facere optat majori verborum virtute,  
 si præsens ipsis foret. Quia vero non unius gentis esset  
 Apostolus, alias etiam visitare terras opus habens, scribere  
 ipsum duntaxat debuisse. Quo dicto jam ulterius (VII) doct-  
 rinam suam illustrat allegoria filiorum duorum Abrahami,  
 Ismaelis ac Isaaci, illo legis hoc Evangelii figuram repræ-  
 senta-



sentante, v. 21. ad finem, unde argumenta, cum Saræ filii-  
simus, pro libertate varia desumuntur, Cap. V. 1-12. Ne tamen  
libertas hoc tegumento sit peccato, (VIII) objectionem mo-  
vet, v. 13. respondetque libertatem nullam esse adversus di-  
lectionem proximi ac ambulationem in Spiritu, quæ con-  
traria est concupiscentiis carnis, luctaturque cum iisdem,  
v. 14. ad f. additis Cap. VII. variis specialibus monitis, solo  
intuitu claris.

§. XVI. Ne in singulis iis, præcipue quæ a scopo no-  
stro aliena videntur, occupemur, de duobus nobis circumspi-  
ciendum est; primo quid Paulo sit parturire, deinde quid for-  
mari in Galatis Christum? Quod *adversus* invulgarissimo suo u-  
su *parturire* seu foetum in utero contentum cum dolore & mo-  
lestia excludere velle significet, utique dubium nullum est. Ex  
quo ultro sequitur, quia Paulus proprie Galatas parere non  
poterat, metaphoricam esse locutionem, a pariendo desumptam,  
qua significetur Paulum velle Galatas multa cum cura & an-  
xietate filios suos spirituales & quidem quia a prima filiatio-  
ne decepti a Pseudo-Apostolis defecerant, *πάλιν*, *iterata vice*,  
adhibito veriori verbi divini semine, efficere. Non putamus,  
quemquam ea de re dubitare posse, cum sit res clarissima.  
Sola in eo difficultas remanet, quomodo Paulus parturire pos-  
sit eum in finem, ut foetus formam acquirat? Qui enim partu-  
riunt, ideo parturiunt, quia foetus in utero jam formam suam  
perfectionemque acquisivit, atque eo ipso ad parturiendum  
commoveret, cum ob magnitudinem suam utero concludi am-  
plius non possit. At Paulus dicit ideo se parturire Galatas, ut  
formam acquirant: iterum vos & tam diu parturio, *ἄχρις οὖν*  
*formetur* in vobis Christus. Plerique interpretes huic di-  
fficultati tollendæ nullam plane operam adhibuerunt, uti e-  
volventi ad oculum patebit. *Daniel* vero *Heinsius* in Exer-  
citationibus fuse & intricate hac de re agit, ut quid velit, vix in-  
telligere possis. Ostendit tamen, jam veteribus Græcis no-  
tatum fuisse, *adversus* non de partus tantum perfecti exclusione,  
sed & nonnunquam de toto tempore, quo imperfectus adhuc  
gestatur



gestatur foetus, dici. Hinc jam olim Philoponum scripsisse: *gravidam toto gestationis factus tempore odorem dicitur*. Quo pacto odorem fuerit cum dolore foetum semper in majorem magnitudinem propellere, donec tempore adveniente egrediatur. Atque hoc modo sensuque ab Apostolo accipi vocem nobis plane necessarium videtur, quia sensus alias totius orationis nullo modo constare posset. Nempe mulieri se comparat Apostolus, summa cura & studio providenti ut foetus in utero contentus a naturalibus defectibus magis magisque liberatus, forma tandem perfecta exire in auram vitalem possit; ita Paulus ut Galatas in vera Christi & salutis suae notitia errantes & imperfectos ad veram perfectamque Christianismi faciem reducat, seu ut alibi dicitur, ad formam *viri perfectam, ad mensuram aetatis plenitudinis Christi*, Eph. III. 13.

§. XVII. Quod jam ad formationem Christi in Galatis spectat, duo iterum consideranda sunt. (1.) quid per formationem intelligatur? (2.) Quomodo haec formatio in Galatis peragatur, cum formatio foetu non nisi in utero matris fieri possit, qui uterus, ut in metaphora maneamus, in Paulo erat, quippe qui matris instar parturiebat, non vero in Galatis? *Allud facilius, hoc difficilius solvitur*. Per ipsam Christi in Galatis formationem nihil aliud intelligi, quam veriore de Christo & salute non per ipsum solum, sed per legis simul opera consequenda) falso sensui oppositam, adeo clarum & perspicuum est, ut in hoc summo consensu conspirent cum veteres, tum recentiores doctores. Requirit enim eundem tota Epistolae historia & connectio, supra a nobis brevibus lineis ostensa. Amiserant Galatae Christum & ex gratia exciderant, qui per legem justificari volebant, Gal. V. 4. Amiserant nempe Christum, quia veritatem, Gal. III. 1. V. 7. h. e. veram, de illo notitiam, qua per eundem solum salvari debebant, amiserant. Erat Christus (h. e. vera & salutaris de Christo doctrina) primum a Paulo Galatis *ante oculos depictus* Gal. III. 1. i. e. ea doctrinae, per ipsum solum non per legis opera salu-

tem



tem consequendi, facie & forma pictus & repræsentatus, quæ  
 cœlesti veritati esset conveniens. Hanc formam faciemque  
 Pseudo Apostoli, qui legis opera cum Christo fide recepto  
 conjungebant tanquam ad salutem necessaria, ex animis eo-  
 rum deleverant, & illam resuscitare Paulus & Christum sub  
 priori forma in animis Galatarum pingere allaborabat. Atque  
 hoc est formari Christum in illis. Equidem varie hanc for-  
 mam sive in genere, sive in specie Ecclesiæ doctores descri-  
 bunt, quæ tamen fere omnia eodem recidunt. Modo faci-  
 em appellant, modo imaginem Christi, modo poenitentiam,  
 modo fidem, modo noticiam, modo vitam Evangelicam, mo-  
 do imitationem Christi, modo dilectionem spiritualem, mo-  
 do dogma de Christo, modo libertatem a servitute legis; id-  
 que ideo, quia forma illa, quam amiserant, vel immediate ma-  
 gis, vel magis mediate consideratur. Immediate per Pseudo-  
 Apostolorum seductionem admiserant doctrinam & notici-  
 am de salute & justificatione in Christo, solo ejus merito quæ-  
 renda. Quæ doctrina & notitia quædam facies est & imago  
 Christi, quia eum repræsentat, quemadmodum in te vere  
 est, non ut eum depinxerant Pseudo-Apostoli. Et quia Ga-  
 latæ per falsam doctrinam, Christum amiserant & ex gratia ex-  
 ciderant. Gal. V. 4. poenitentia & fide opus erat. Cumque  
 opera ex falsa doctrina adeoque non ex fide provenientia  
 vere bona non sint, neque DEO placere possint, Hebr. XI,  
 6. erant Galatæ revocandi ad vitam vere Evangelicam, non  
 legalem, ad imitationem Christi, ad dilectionem spiritualem,  
 ad libertatem a servitute legis. Ecce quomodo diversæ de  
 hac forma reperiantur locutiones, quæ reapse tamen ad idem  
 recidunt & se invicem indivulso nexu supponunt! Origenes  
 Tr. XXIX. in Matth. *Sicut in pregnantibus formatur & figura-  
 tur semen: sic & in anima, quæ suscipit verbum, paulatim forma-  
 tur & figuratur conceptio verbi in ea.* Et hoc puro dicere Paulum ad  
 Galatas. Hieronymus Tom. IX. in Ep. ad Gal. postquam si-  
 mille de conceptione fuisse proposuisset, *ita, inquit, semen ser-  
 monis Christi, cum in animam audientis, incidit, per gradus suos  
 crescit*



*crefcit. Formatur Chriftus in corde credentium, cum omnia illis sacramenta panduntur & ea, quæ obfcura videbantur, perfpicua fiunt. Chriftofomus Tom. II. Homil. XLVI. in Matth. Quando credimus in Chriftum, Chriftum generamus & formamus in nobis; quando perdimus fidem, Chriftum occidimus in nobis. Auguftinus Tom. IV. in Ep. ad Gal. Formatur Chriftus in credente per fidem in interiore homine vocato in libertatem gratia, miti & humili corde, non fe jactante de operum meritis. Formam accipit Chrifti, qui adhaeret Chrifto dilectione fpirituâli. Ex hoc enim fit, ut hujus imitatione fit, quod ille, quantum gradu fuo finitur. Ambroſius Tom. IV. Lib. II. de Cain & Ab. In hanc formam tota mentis noſtra ſoaleſcant viſcera & in illo genitati alvo anima noſtra Chriftus refulgeat. Partus noſter fides fit, nutrimenta noſtra præcepta doctrinæ ſint. His quedam cordis noſtri imbuatur infantia, inſt. in pueritia, juvenulaſcat adoleſcentia, ſenectâ caneſcat. Oecumenius in locum noſtrum: πάλιν ἡμᾶς ἀδῖω διὰ τῆς διδαχῆς πάλιν γεννῶ διὰ τῆς κατ'ἠχῆσεως. Cyrillus Alex. Lib. XII. in Joh. c. LVI. Formari in homine Chriftus non poteſt aliter, quam participatione Sancti Spiritus per Evangelicam vitam. Theophylactus in Gal. Denuo vos parturio, per inſtitutionem iterum regenero. Nec minus doctores recentiores. Lutherus Tom. VI. Altenb. in Ep. ad Gal. Die rechte Geſtalt / die ein Chriſtlich Herz haben ſoll / iſt der Glaube oder Zuverſicht im Herzen / daß durch wir Chriſtum ergreifen / demſelbigen allein und ſonſt keinem andern Dinge anhangen. Welches Herz nun einen ſolchen Glauben hat / daß wir für Gott gerecht geſchätzt werden / umb Chriſtus willen / der hat ſeine rechte Geſtalt nach Chriſto. Opponit autem der Geſtalt Moſis / wenn das Vertrauen nicht mehr ſiehet auff Chriſto / ſondern auff den Wercken des Geſetzes. D. Lucas Oſiander ad Gal. dolores parturientis libenter ſuſtineo, modo vos ad veritatis cognitionem reducere & veram Chriſti agnitionem, tanquam germanam Chriſti faciem & imaginem, animis veſtris rursus imprimere, poſſum. D. Joh. Quiſtorpius in Ep. ad Gal. Chriſtus formatur, quando ille recte cognoscitur, certa fiducia in illius merito recumbitur, nec in alio præterquam*



terquam in Christo salus & vita aeterna queritur. Vinarienses ad h. l. bisß das Christus in Euch eine Gestalt gewinne. Und also wiederum nach der reinen Lehre des Evangelii mit wahren Glauben in seiner Person / Ampt und Wolthaten erkennet werde / wie Er soll und will selig erkannt seyn. Dies me potius deficeret, quam ut quotquot cum his conueniunt, adduciqueant. Sufficiat addidisse, me ex Theologorum nostrorum ingenti numero nullum invenire potuisse, neque in instructissima Bibliotheca, Magnif. Domini Praesidis, neque in supellectili librorum Parentis mei desideratissimi, qui ab hac expositione recedat.

§. XVIII. Alter vero circa verba haecenus exposita difficultas solvitur distinctione inter formationem, ut Philosophorum terminis utamur, activam & passivam. Illa in parturiente, haec in partu ipso conspicitur. Parturit mater generalius accipiendo vocem, dum formam foetus suo in utero semper perfectiorem, virtute sibi nativa active imprimit, atque adeo, hoc sensu ipsa sola foetum in se format; foetus vero formatur, passive dum majorem perfectionem pariter in se recipit. Itaque cum Galatae foetus a Paulo in ipsius utero gestato, comparentur, fieri non poterat, quin in ipsis, tanquam foetu, forma Christi, faciesque doctrinae ipsius salutaris efficeretur, cum quo stare utique poterat, quod haec ipsa formatio *μεταμορφωσις* in utero Pauli, non in Galatis, jam extra uterum existentibus, perficeretur. Quo pacto omnino cessare potest difficultas.

§. XIX. Haec cum ita se se habeant, & jam sole meridiano clariora uideantur, non possumus admirari satis deliria Fanaticorum, qui nescio quas ex hoc cum primis loco confingunt penerationes Christi in fidelibus proprie dictas, personales, essentielles, verissimasque, quas nec ipsi in perverto cerebro satis intelligunt, & aliis tamen tanquam unicuique restaurandi ex lapsu suo Christianismi medium, summo conatu commendant & obrudunt, ceu in sequenti Capite a nobis dicetur amplius.



## CAPVT TERTIVM.

VSVM ET ABVSVM INSTITVTÆ TRACTATIONIS  
PER CERTAS QVÆSTIONES SVBNECTIT.

### S. I.

**Q**Uæritur primo : *An Christus peculiariori quoad substantiam ipsam approximatione sit in sanctis, quomodo non est in aliis ?* Suppono non esse quæstionem (1) de peculiari atque speciali operatione in sanctis; neque (2) de præsentia fidei; sed (3) de approximatione substantiæ Christi, quoad utramque naturam ad substantiam fidelium, haud ita arte facta in præsentia generali. Sic quæstio affirmatur. Probamus (1) quia Christus ipse dicitur esse *in ipis* scilicet *discipulis*, aliter certe atque aliter quam in reliquis. Verba autem ipsum subiectum ejusque præsentiam arctiorem denotantia de nuda operatione explicare vellet, durum pariter esset atque primo conceptui plane contrarium. (2) Quia hæc inexistens appellatur mysterium gentilibus, antequam converterentur, absconditum, aut revelato atque ab ipsis recepto Evangelio, in ipsis divitiis suis summaque gloria non tantum apud ipsos, verum etiam in ipsis conspicuum. Talem igitur Christi præsentiam in se ipsis per conversionem consecuti sunt, qualem ad Christum haud conversi, nequaquam habuerunt. (3) Quia Synonyma hujus inexistentiæ, ceu patuit ex superioribus dictis, sunt *to* accedere, venire, appropinquare ad hominem fidelem, quæ ipsæ vocum proprietates arctiorem etiam quoad ipsam substantiam præsentiam modum supponunt. Qui superiori seculo reliquis se Theologis in hac controversia separarunt, immensitatem diuinam, cum primis quoad diuinam Christi naturam, huic approximationi e diametro adversam esse, objecerunt.



jecerunt. Talem enim sibi fecere ideam de immensitate, ut vi ejus nulla ne tantilla quidem distantia inter DEI & creaturæ substantiam sit, reliqua, alias quippe illa aliquo  $\pi\delta$  terminaretur, adeoque non esset immensa. Videantur de hoc argumento pluribus D. Musæus in *der ausführlichen Erklärung* loco de unione Mystica. D. Hebenstreit in Th. N. Ex X. Th. VI. §. XII. editionis in quarto p. 199. imprimis Dn. J. J. Müllerus, Theol. Augustanus, in nouissimo grandi opere de unione mystica, omnium operosissimo. Verum quod salvo tantorum virorum ita rationantium autoritate dixerim, (1) materiales sibi conceptus faciunt de Christo DEO, cum tamen ipsi Philosophi non circumscriptivam & definitivam præsentiam DEO adscribere soleant, sed eminentiorem, nempe repletivam, a materiali conceptu atque adeo a spatis omnibus locorumque distantia liberam. (2) Argumentum est ex ratione desumptum, ratio autem Scripturæ evidentissimæ claritati nihil præjudicat, juxta Eph. III. 20. (3) Non potest concludi ab infinitate ad præsentiam, cum præsentia sit relativa infinitas absoluta, præsentia variabilis admittens gradus, infinitas invariabilis & graduum expres, dicente D. Assmanno in Syft. Exer. Par. I. p. 167. (4) Si Christus juxta substantiam præsentior est quoad diuinitatem humanæ suæ naturæ quam aliis, poterit etiam præsentior esse sanctis quam infidelibus. Id autem ita indubium est, ut qui asserturus esset, divinitatem Christi humanitati tantum propter qualitates vel dona in ipsam effusa præsentiosem dici, is ipsum incarnationis & unionis personalis fundamentum sublaturus esset. Sed quo minus fufus de amplissimo hoc argumento agamus, Theologorum in utramque partem uberrima scripta faciunt, quæ consuli possunt. De novissimo Mülleri opere videantur, quæ notarunt præssimi celeberrimique Novorum Veterumque Autores, Ord. VIII. A. 1704. De cætero legi etiam meretur accuratus Theologus D. Schomerus, Diff. de differentia Unionis pers. & myst. Sect. III. §. IX. Adde si placet



cet Magnif. Dn. Præfidis mei, viri nunquam sine animi reverentia mihi nominandi, Theſ. Polem. §. XXI.

§. II. Queritur ſecundo: *An & in V. T. Meſſias cœſus ſeu ſanctis ſuis quoad divinam naturam præſentior fuerit quam aliis?*  
 Si cui curioſior juſto videbitur hæc quæſtio, is expendat, non DEVS tantum in eſſentia conſideratum jam in V. T. cum fidelibus & piis admodum familiariter converſatum eſſe, & præſentiam ſuam plane ſingularem piis in populo ſuo promiſſiſſe Lev. XXVI. 11. 12. collato cum II. Cor. VI. 16. Ef. LVII. 15. Ef. XCI. 15. verum etiam ipſum Filium DEI futurumque Meſſiam, præ ceteris Divinitatis perſonis, ſeſe frequentius præſentia ſua & converſatione Patriarchis, judicibus, Prophetis, aliisque inſinuaviſſe, cum ipſis comediſſe, ambulaviſſe collocutum eſſe, ſeſe eorum brachiis, lumbis, pectoribus implicuiſſe, cum ipſis luctatum fuiſſe, aliaque id genus edidiſſe ſigna uberrime conſtet, quibus arctiorem adhuc cum hominum genere conſervandi modum, cum in carnem venerit, ſibi fore ſimul præfiguravit. Quid jucundius eſt, quam cum apud Salomonem de ſe ipſo profitetur: *ludens in orbe terræ ejus & delectationes mea cum filiis hominum?* Prov. III. 31. Cum **לענונו** delectationes prædicat, quæ vox de intima, multiplici, ſvaviſſimaque delectatione in Sacris ſemper accipitur, quando, dicente Geiero noſtro, *rem aliquam non ſatis intruere, medicari aut amplectari poſſumus, ulteriori ſemper eo propendentes cupiatine, nihil excipit amoris & affectus, quo ferri in rem aliquam delicatiſſimam nobis que chariſſimam poſſumus. Jam vero quæ flagranter & quaſi immoderate amamus, iisdem intime nos conjugimus & ſi fieri poſſet, in ipſorum corda & viſcera immergeremur. Quare idem Θεοφιλάτης Geierus inter intenſiſſimi amoris, quo divina Patris ſapientia etiam V. T. cives & devotos **ליו יום** quotidie, ut hoc ipſo loco dicitur, profecuta eſt, documenta refert quoque *gratiosam in cordibus fidelium inſpirationem.* Interim non inſiciamur, accedente ad τὸν λόγον natura humana, ſummi amoris illius ſpecimina extenſa fuiſſe etiam eo uſque ut corpore anima que ſua  
 nobis*



nobiscum conjungeretur amantissimus noster Salvator. Quam differentiam N. præ V. T. esse debuisse Apostoli sæpe nobis testatum reliquerunt.

§. III. Quæritur tertio: *Qualem habitudinem ad salutem habeat noticia de substantiali Christi inexistencia in nobis, & an istius doctrina complexus ad salutem sit necessarius?* Supponimus ex Theologorum nostrorum tractatione, duplicem esse credendorum ad salutem respectum, *primarium* & quasi essentialium eorum, quæ cum necessarium impetrandæ salutis medium in se complectantur, neque negari salva salute possunt, neque ignorari. Et *secundarium* sive consequentem, qui, quia ad fidei semel receptæ conservationem facit, ita contemnendus non est, ut de doctrina problematicæ in utramque partem disputare sit licitum, sed animus potius ex sacris literis solide est informandus, ut veritatem comprehendat, neque eandem post sufficientem rei dilucidationem temere & præfracte neget. Ad ultimam classem doctrinam de reali Christi non inter nos tantum, sed & in nobis existentiam referri debere, nulli dubitamus. Idque (1.) quia est dogma clarissime revelatum, ceu in præfenti Disputatione abunde ostensum. Ast quomodo possit id, quod ex DEI veracissimo ore, dilucido verborum sensu egressum est, temere in dubium vocari? (2.) Celebratur in textu nostro hæc ipsa in existentia tanquam summum & eminentissimum mysterium, temporibus N. T. ad insignem DEI gloriam reservatum. Mysteriorum vero indoles & natura est, ut potius adorari sancta reverentia, quam parvi æstimari, aut plane negari debeant possintque. Accedit (3.) divitiarum & gloriæ hominibus ex hoc mysterio expectandæ consideratio. Nec enim frustra inexistit Christus sanctis suis, sed ut majore eosdem beneficiorum copia, perpetua animorum exhilaratione, ad constantiam in fide exhortatione, in adversitatibus ipsaque, si & martyrii esset, morte vivacissima consolatione perfundat & cumulet; huc enim totus Apostoli scopus tendit. Jam vero qua temeritate id negari potest, quod tot tantasque in se complectitur utilitates?

G

§. IV.



§. IV. Supposita Christi in nobis existentia quæri potest quarto: *An nos de Christi inexistentia in nobis certi esse possimus?* Affirmatur. Observari autem potest (1.) non esse quæstionem de casu tentationis, in quo vacillare nonnunquam certitudo ista solet, sine tamen fidei & salutis damno, quia infirmitates nostras libenter nobis condonat DEVS, Pf. XIII. 2. Ef. XLIX. 14. Notandum item (2.) gradus dari certitudinis juxta mensuram a DEO distributam, hinc omnes æque atque eodem gradu certos esse Christi in se existentia hæud afferimus. Confer inter se duo loca Matth. VIII. 10. & Marc. IX. 24. Sed intelligimus (3.) certitudinem extra tentationem, quæque dubitatione longe major est. Probamus (1.) quia hæc- ce inexistentia nobis in textu non revelata tantum, sed & promissa est, Joh. XIV. 24. Quicquid autem a Christo nobis est revelatum & promissum, ei certo inniti possumus atque debemus (2.) Ex peculiari Christi in nobis operatione; neque enim ad momentum quidem Christus in nobis otiosus est, sed omni cogitata dicta & facta dirigere cupit in bonum nostrum spirituale. Potissimum autem, quod in homine operatur, est, ut præsentia sua exstimulatus adversus omnes Satanae mundique & carnis tentationes imotus persistat, & de perseverantia sua in fide, tanto Domino eundem præsentem protegente, nullatenus dubitet juxta promissum suum, Ef. XLI. 10. (3.) Ex ipso certitudinis hujus sensu, Rom. VIII. 38 quem ex præsentia Christi in nobis tam evidentem reputat Paulus, ut quasi impossibile esse judicet, ignorari Christum esse in nobis, iisque vehementer irascatur, qui ejus præsentiam & inexistentiam hæud sentiunt, sed sensum hunc sua culpa supprimunt. *Tentate, inquit, vosmet ipsos, an sitis in fide. Explorate vos ipsos. Aut non ipso sensu vestro vosmet ipsos quasi palpatis & adeo certo cognoscitis, quod Jesus Christus in vobis existat? nisi forte, quod absit, reprobi sitis, & Christum parum curetis, II. Cor. XIII.*

§. V. Quæritur quinto: *An hæc inexistentia Christi in nobis magno honori sit hominibus sanctis?* Quis vero dubitet?

Nota-





Notamus tamen (1.) non inde sequi honorem diuinum, quem Naylorum ab Anglis accepisse ob præsentiam Christi in se ex superioribus constat; id enim uniuersæ scripturæ repugnat, Matth. IV. 10. (2.) Etiam honorem Angelo debitum excludimus. Hinc inconueniens esse putamus, cum Statio asserere, non excogitari posse nomen honoribus fidelis hominis æquale, imo majori tales honore dignos esse Angelis. Vide ipsius Schaffammer p. 47. Quam *παρέβατον* in ipso jam olim notavit R. Ministerium Gedanense & ex eo D. Rango in notis Inauguralis Orationi: De dolis & fraudibus Pseudo-Theol. additis, p. 56. seq. (3.) Nos non intelligere honorem hujus mundi, quem facit differentia status, eruditionis, famæ, diuitiarum, functionum; si enim etiam impiissimus in oculis hujus mundi hunc possidere potest honorem. Relinquitur ergo honor, i. e. existimatio præ aliis in oculis DEI & Angelorum, DEI tamen honore infinitis, & Angelorum multis parangis inferior. Probatur ille honor (1.) ex allata spe gloriæ; nec enim frustra æterna beatitudo gloriæ voce, quæ grandem honorem involvit, vulgo exprimitur; unde certe & *δόξα* seu gloria cœlestis per *τιμὴν* sive honorem ἐπεξηγητικῶς describitur, Rom. II. 10. Quem vero speramus etiam in hoc mundo adspiraturum esse ad singularem honorem, eum vel ob ipsam hanc spem singulari honore prosequimur. Quod de homine fidei eo æquius est, quoniam ille non tantum spem habet gloriæ cœlestis, sed eandem quoque in primitiis reapse possidet, Joh. V. 11. 12. (2.) Ex appellatione sancti. Cum enim DEVS sit sanctissimus, ille naturæ DEI eo propius accedit, quo sanctitati magis dedicus est. Quo autem quis propior venit naturæ DEI, eo quoque de honore ipsius magis participat, argumento loci Exod. XXXIV. 29. (3.) Ex ipsa Christi in nobis inhabitatione. Quo enim major persona est, quæ præsentia nos sua & cohabitatione dignatur, eo major quoque totius mundi iudicio honor ad nos redundat. Quod ipsum cognouit Elisabet, Luc. I. 43. & Centurio Cæsariensis, Matth. IX. 8. Hinc B. Lutherus





Tom. VII. Jen. super Cap. XIV. Joh. was kan für grössere Ehre und Herrlichkeit genennet werden / denn daß wir arme elende Leute sollen der göttlichen Majestät Wohnung Lustgarten und Paradis seyn?

§. VI. Quid vero sexto de illa famosissima questione sentiendum: *An propter hanc Christi inexistenciam homo dicere possit: Ego sum Christus, vel Ego sum Christificatus?* Equidem palam est, Lutherum vim & emphasin justificationis nostræ ea loquendi ratione aliquando expressisse, ut diceret, cum coram judicio divino, quicquid Christus nostri causa passus est, haud aliter in oculis divinis habeatur, ac si nos id passi fuissetus, hominem peccatorem coram DEO dicere posse. *Ego sum Christus*, i. e. omnia Christi mea sunt, ego enim in illo legem implevi & pœnam infernalem sustinui, igitur in oculis divinis haud aliter habeor, ac si ipse essem Christus. Tali itaque expressâ explicatione addita nihil inepti fecit Lutherus. Sed si ex illa quoque causa, quod Christus juxta substantiam suam mihi inexistat, dicere me posse existimarem: *Ego sum Christus*; nulla idonea reddi posset ratio, cur non item, quia DEVS Pater & Sp. S. per eandem unionem mysticam in me existunt, dicere possim: *Ego sum DEVS Pater, Ego sum Spiritus S.* Est autem illa locutio absolute posita, aut ex ratione unionis intellecta, absolute falsa: Quia (1.) ceu ostensu, ex dicto nostro, ut prætenditur, nullo modo sequitur Quia (2.) fons est monstroriarum illarum sententiarum, aut ad minimum locutionum, ex quibus in simpliciorum animis non nisi absurdissimarum opinionum *regaræ* progenerari possunt. Quia (3.) simpliciter posita ipso Scripturæ usu a præcurfore Christi rejecta est, Joh. I. 20. Sed ea de re Capite primo copiosius diximus. Adde Dn. Præsidis Coll. MSS. Priv. Controv. Loco de unionem mystica.

§. VII. Quæritur septimo: *An homo fidelis essentialiter, coporâter & personaliter unicus sit Christo?* Diximus jam supra etiam in orthodoxis Theologis (ut pote jam olim in Hieronymo, vel quisquis precationis in agone autor est, qui se *participa-*



*zicipatione Dominica carnis & sanguinis converti ac fieri Deum dixerat; de quo recte Calvoërius in Sciff. p. 563. infueta est hyperbolica ferventis devotionis loquela*) nonnunquam similes locutiones usurpatas inveniri, sensu tamen non alio, quam quod ipsius Christi essentia & persona unita sit mystico modo homini fideli, non vero modo essentiali & personali, adeo ut unam cum Christo essentiam & personam constituent, quod tamen ipsum proprie enunciant voces essentialiter & personaliter. Nec negaverim, etiam Fanaticos quosdam ex terminorum philosophicorum vel ignorantia, vel contentu, sub his aliisque locutionibus sensum non alium post multas verborum ambages animo complecti & verbis enunciare velle, quam quod ex unione Christi cum homine fideli unus quasi homo, una, ut alias de duobus amicis loqui solemus, anima fiat. Quin & historiae horum Fanaticorum, utpote Hohburgii, David Jorissii aliorumque testantur, (Vid. Jessen. *Auffgedeckte Larff* Part. II. tota Sect. III. Pag. 237.) cum a Magistratibus nonnunquam ad reddendam deliriorum suorum rationem vocati deputatis ad id Ecclesiarum doctoribus respondere debebant, deliras istas locutiones ita interpretatos esse, ut nihil aliud intelligi vellent, quam Christum intime nobis inesse, nosque ad universa Christianismi officia, non ad extra tantum per prædicationem verbi, sed etiam ad intra per se ipsum efficacissime movere, ducere, impellere, excitare, consummare. Sed hæc tamen universa nequaquam efficiunt, ut ideo loquendi illa ratio vel plane excusari possit, vel tolerari. Nam (1.) nulla fidicula extorqueri illa consequentia ex loco nostro potest; Christo est in nobis, Ergo est essentialiter & personaliter in nobis; ergo homo per hanc unionem Deificatur. Recte vero Theologi nostri; est hæc unio mystica naturarum, non naturalis, essentiarum, non essentialis, personarum, non personalis. Excipit quidem Zimmermannus in der Beantwortung der wichtigen Fragen p. 39. *Wann Christus mystice als ein Corpus mit seinen gläubigen (nicht aber personaliter oder vor seine Person) betrachtet wird / so fan-*



nicht geleugnet werden / daß Christus mysticus mit einer jeden gläubigen Person so vereinigt seye / daß ein jeder gläubiger Mensch krafft solcher geistlichen union auch schreiben könne : Ich bin Christus. Dann gleich wie alle Glieder am Menschen den Leib machen / und auch ein jedes Gliedmaß particulariter mit hin Leib oder leiblich ist / also ist der ganze Leib der Christlichen Kirchen Christus mysticus und einjegliches Gliedmaß repräsentiret auch denselben. Ecce ineptias ! Nec enim propter ejusdem corporis naturalis unitatem dicere possum : pes est homo vel est Paulus, sed est hominis vel Pauli. Omnium minime dicere possum : pes est caput, sed est essentiali nexu conjunctus cum capite. Ita ob unitatem corporis mystici, Christi & fidelium, dicere non possum : hic fidelis est corpus mysticum, sed est pars corporis mystici. Multo minus dicere possum : hic fidelis est Ecclesia Lutherana, sed de Ecclesia Lutherana. Omnium minime dicere possum : hic fidelis est Christus, sed mystice conjunctus cum Christo. Quo minus enim dicere possum : essentialiter est unitus cum Christo, intelligendo de essentiali non naturali sed mystico, seu quod ad essentiam & quidditatem corporis mystici tanquam ejusdem corporis mystici pars pertineat, ambiguitas vocis facit, quæ absolute posita essentiam naturalem intellectui ingerit. Teneor vero ita loqui, ne mea loquela per ipsam loquelæ indolem quenquam in errorem inducam. (2) Quia ipsa loquendi ratio tanquam in se erronea non potest non alias locutiones absurdiores & monstruosiores progenerare ; id ex ipsa experientia capite primo comprobatum dedimus. Quid horrendum magis est, quam cum Henr. Nicolai (ap. Minist. Tripol. in der Schutz-Schrift, Part. II. p. 260.) de se edisserit : *se Deum factum esse de Deo, substantiatum cum Divino homine ?* Nec minus Nicol. Zeding. (ibid. p. 654.) Die Kinder Gottes müssen aus Christi Wesen / Leibhaftigkeit Fleisch / und Blut wiedergeboren werden / so daß sie Wesentlich mit Christo einem Wesen vereinigt werden / und der gläubige Mensch Christus selber sey. Das Wesen



sen des neuen Menschen sey Christus und die neue Creatur sey Christus. Nota etiam alias est Fanaticorum deducta ex essentiali & personali unione ista Deificatio & Christificatio. Illud Esaia Sciffelii & Ez. Mechi: *Jch bin Christus: Jch bin das Lebendige Wort Gottes/ Jch bin der Grosse Fürst Michael/ Jch bin Christus das Lebendige Wort Gottes.* Sed cur tales ulterius enarro locutiones, cum tamen eis toti libri possint impleri? (3) Quia si tantæ tamque tremendæ mysteriorum divitiæ in unione cum Christo laterent, locutiones, quas inde eliciunt Fanatici, vel semel iterumque in sacris *in* *les* legerentur; nec enim tantum mysteriorum proventum scriptura subtrahisset.

§. VIII. Queritur octavo: *An recte distinguatur Christus in internum & externum?* Negari non potest, Christum aliquando extra hominem, aliquando intra eundem peculiari præsentia genere existere, atque eo modo in externum & internum distingui posse. Ita enim ipse de se ipso: *Ecce sto ante ostium animæ atque adeo extra domum seu hominem, & clamo: si quis audiverit vocem meam aperuerit ostium, ingrediar ad ipsum, adeoque intra domum & hominem, & canabo cum ipso & ipse mecum.* Apoc. III. 20. Sed cum externum Christum Fanatici appellent, qui & quatenus externe natus, passus, mortuus, ascendit ad coelum & confedit ad dextram Dei, qui hoc pacto consideratus homini salutem nullam adferat (quod imprimis solenni Ecclesiæ nostræ doctrinæ de imputata nobis externe Christi nativitate, passione, morte, cœterisque, quæ conjunctim accepta justiciam ejus activam & passivam vocamus, quamque Vatiniانو odio prosequuntur, appellantes eam, ein fanatisches gedichtetes Schmierwerk über alle stinckende Krebs Schaden/ein Brunquell aller Adamitischen Ungerechtigkait und alles unreinen Wesens) & inter Christum internum, qui, solus salutem in homine incohæret, omneque bonum in eodem perficiat, quilibet ultro videt, somnia potius delirantium, quam cœlestem veritatem ea distinctione proponi. Externum Christum David Georgius appellat



appellat Christum nach dem Fleisch / einen natürlichen / begreiflichen / auswendigen / leiblichen Christum. Internum vero, Christum Davids / ohne Vater und Mutter nach dem Fleisch / aus einer andern Art von oben herab aus dem Himmel gekommen. Videatur Jessenius p. 210. sqq. Vnde & relinqui communiter Christum internum spirituale & cœleste corpus ex cœlo attulisse ajunt, quo in homines fideles penetret, omniaque pariter in ipsis interna efficiat, internam fidem, internam justitiam, internam orationem, internam absolutio-nem, interna sacramenta, internam eruditionem, internum cœlum, adeo ut homo ab externo ad internum conversus secundum ipsam essentiam suam immutetur. Videatur Colbergii Platonisches Christenthum Part. I. p. 108. f. Et quamquam his deliramentis denuo per interpretationes suas qualemcunque veri sensus colorem nonnunquam inducant, ipsa tamen locutionum portenta eandem non admittunt, ut effugia tantum quærere genuinamque sententiam per silentium sacrum premere & dissimulare (quam arcani disciplinam nonnulli aperte laudant & profitentur: videatur ex Arndio (vero an ficto?) Arnold Reher Historie P. II. p. 482.) non immerito credantur. Impugnantur hæc formularum ineptiæ iisdem, quibus superiores argumentis. (1.) Ex eo, quod interni Christi in loco Paulino memorati alius longe sit sensus, ceu suo loco invicte demonstravimus, ex quo sensus ille Fanaticus nullo modo consequitur. (2.) Quia illo, quem primus conceptus tradit, sensu intellectæ non possunt non in absurdissimorum quorumlibet errorum præcipitia deducere, imo eo unice tendunt, ut per Christum internum ad Enthusiasticas ejus in homine operationes, homines a Christo, & verbo externo abstrahant & seducant, ut primo satis ostensum est Capite. (3.) Quia in scripturis negry quidem illarum occurrit.

§. IX. Quæritur nono: *An verissime propriissimeque prædicetur de Christo: quod in homine fideli incarnetur, concipiatur, formetur, generetur, vivat, infirmetur, patiat, moriatur, resurgat* &



Et ad calum ascendat, i. e. omne id, quod in diebus carnis sua fecit & passus est, idem vere propriissimeque in homine fideli agat & patiatur? Denuo monendum est, vocum abiguitate abuti Fanaticos, & sub verborum lusibus, nescio quæ grandia mysteria suis commendare. Veritatis vox aliquando proprie accipitur, aliquando analogice. Proprie, quando cum re ipsa, cui apponitur, convenit. Analogice, cum aliquid ei simile habet. Vbi tamen sciendum, veri & in primis verissimi vocem non attribui rebus, nisi ubi analogia & similitudo est adæquata, uti Logici loquuntur. Nec enim Filium voco verissimum Patrem, qui in uno tantum lineamento, aut virtute Patrem refert, sed qui fere in omnibus. Hac analogia adæquata Christus vocatur vera lux, Joh. I. 9. (quod me docuit Magnif. Dn. Præses) non quod sit lux proprie dicta, quippe quæ est communi loquendi usu, qui unus proprietati fundamentum præbet, qualitas materialis, sed quod analogice, analogia adæquata, quia Christus luci proprie dictæ in omnibus singulisque exacte comparari potest. Ita idem Servator noster *viris vera* vocatur Joh. XV. 1. quia viti veræ in omnibus similis est. Eodem sensu si Christum in homine fideli verissime formari & nasci dixeris, fortassis, nihil absurdi dixeris, addita tamen statim explicatione, quod regeneratio hominis & conversio, quæ per formationem & generationem *παραφορισμός* describitur, eidem formationi & generationi in omnibus sit similis. Sed cavendum interea est, ne illud, quod cum addito vel explicatione, vel diferte adjecta, vel ex circumstantiis facile intelligibili, dicendum fuerat, absolute enuncietur: quod non tantum faciunt Fanatici, verum etiam præterea additione alterius vocabuli, quod tali ambiguitati objectum non est, sed vocem potius verissima, ex analogia sua validissime detrudit, errorem apertius producit. Quæstio igitur jure meritoque negatur, (1.) quia formatio & generatio in loco Paulino non fidelibus, sed Paulo tribuitur, & quando in Galatis Christus dicitur formatus, non intelligitur Christus in ipsorum utero formatus, & ex illo generatus, sed Christi notitia in Galatis, tanquam foetu in Pauli utero existente, ad augmentum & perfectionem deducta, uti supra ostensum

H

stenum



stentum. Quia (2.) eadem vox formationis in loco ad Galatas æque in vera proprieque dicta significatione accipi non potest, ac non potest vox filiorum & parturitionis Paulo attributa, nisi dicere velis, Galatas fuisse proprie dictos Pauli filios, & ex utero suo Paulum genuisse Christum atque adeo vere & proprie Matrem Christi fuisse. Quo pacto enim parturivit foetum, eo etiam pacto, ipsa immediata connexionione id testante, eundem nec aliter formavit. Quia (3.) *παλιγενεum* & secundo eos genuit; ast proprie vereque semel tantum homo generatur. Addi potest (4.) quia istæ loquendi formulæ, utcumque in nonnullorum animis bonum habere sensum possint, pleurosque tamen imprimis simpliciores, ipsa loquendi indole ad monstrosas sententiarum chimæras deducunt. Quare Theologi nostri salutariter monuerunt, crescente hodie Fanaticorum colluvie, ab ejusmodi loquendi rationibus, quantumlibet bonum sensum cum optima etiam utentium intentione habere possint, ne colludere cum ipsis & *répéta* ipsorum vel approbare videamur, vel excusare, studiose abstinendum esse.

§. X. Quæritur decimo: *An Christus externus nihil nobis proferat, sed tantum internus?* Poterat primo intuitu non ita absurda videri totius quæstionis affirmatio. Quamdiu enim Christus in cor fidele non recipitur, omni sua nativitate, passione, morte, satisfactione & merito, actu secundo nihil homini prodest, nec salutem ei adfert, quin potius ex accidenti ipsi sit *petra scandalis & lapis offensionis*. Rom. IX. 33. & *odor mortis ad mortem*, II. Cor. II. 16. Verum cum Fanatici plerique Christum internum opponant ei Christo, qui agendo patiendoque, adeoque actionibus externis DEO vice hominum satisfecit, eoque iram iusti in cælo judicis placavit, & hominem a peccato pœnisque redemit, ut hæc externa Christi justitia sit ipsius hominis, iustitia, qua coram DEO, dummodo eandem acceptare velit, iustus & innocens habetur, idque grande & immensum beneficium est, si vel maxime ab homine non acceptetur; præterea ipsi Fanatici non negent, Christum agendo & patiendò id effecisse, ut eundem in nos recipere & Christus in nobis receptus & existens, nos in sui naturam & essentiam mutare, adeoque salutis æternæ

multos



æternæ participes reddere possit, itaque moderatius plerique loquuntur, dicentes, Christum externum sine interno nobis nihil prodesse. Sed vero sive crude loquantur, sive fraudem quomodocunque tegant, ipsa hypothesis de negata Christi satisfactione, ejusque imputatione ad justiciam per fidem impiissima est, spernens grande & immensum DEI beneficium, nosque a salute excludens. Præterea doctrina illa tam evidenter ubique a Paulo refellitur in utraque Epistola ad Galatas & Colossenses (videantur Col. I. 14. 20. 22. II. 13. 14. 15. Gal. I. 4. II. 16. III. 13. 22. IV. 4. 5. V. 4. 5.) ut non nisi extremam sapiat impietatem, imputationem justitiæ Christi, quæ juxta universam scripturam arcem & fundamentum totius Christianismi constituit, non in dubium vocare tantum, sed tot præterea maledictis & blasphemis incensere. Ne addam plura, cum hæc pro negata quæstione sufficere possint. Hinc mirari satis non possumus, anonymum nuperimum, qui ut prior & nunc mutatus libri titulus habet, est larvatus ille Christianus Democritus, homo nullius nisi suæ religionis, Apostata vero virulentissimus, edidisse libellum, quem inscripsit: *Evangelische Vorstellung der wahren Rechtfertigung*, in quo Fanaticorum agens personam ad isthæc testimonia S. literarum, pro satisfactione & imputatione justitiæ Christi allata ut fusc; ita quantum fieri potest speciosissime respondere allaborat. Quisquis tamen istas locorum detorsiones oculo ab affectibus libero & divini spiritus verba reverenter habente adspexerit, attridæmonis, se in Angelum lucis convertentis, gressus oppido & facili negotio animadvertet. Videantur doctissimi auctores *der unschuldigen Nachrichten* a. 1702. p. 555. f.

§. XI. Queritur undecimo: *An formetur Christus in nobis per immediatam sui ipsius operationem?* Ostendimus in superioribus Cap. primo §. XI. Fanaticorum proprium esse, contemnere verbum externum, illudque literæ ac conceptuum cerebrinorum & humanarum opinionum nomine traducere, ut immediatæ Spiritus operationi omnia in negotio salutis adscribant. Neque aliter sentiunt, aut sentire possunt hodierni, qui dicuntur, *Pietitæ*, quousque negant, hominem non regeneratum non audire, vel intelligere posse verbum divinum. Ex quo ultro consequitur,



tur, prius Christum immediate in homine formari oportere, quam capax sit verbi externi vere audiendi & intelligendi. Quicquid igitur informationis (seu formationis) ex verbo ipsam generationem Christi ex utero Pauli, h. e. regenerationem hominis, antecessit, id non potuit provenire ex verbo & Spiritu, quia homo tum nondum fuerat regeneratus, in quo solo scilicet Spiritus operari potest. Ergo juxta ipsos necessario sine verbo & immediate regeneratur homo. At manifestissimum & immotum ex textu nostro manet, Paulum non formasse Galatas, ut Christus in eis existeret, nisi per Epistolam & verbum suum, paulatim ab ipsis, etiam antequam regenerarentur, & magis magisque intellectum & receptum. Quod si nemo hominum ante regenerationem vere audire, & intelligere verbum potest, ergo per verbum non potest regenerari, quia verbum non vere auditum & intellectum non est verbum divinum, sed humanum. Ergo ex verbo formatur Christus, & ex verbo vero & recte cognito & ita formatur, antequam regeneretur ex verbo, non momento, sed longo saepe tempore, quamdiu in utero latet. Aliquando quidem, qui ex verbo vere cognito per longum temporis interval- lum formatus est, ad vitam regeneratur, aliquando tamen, qui ex verbo vere cognito per longum temporis spatium formatus est, facta abortu (quod & Paulo citra dubium in plurimis Galatis obtigit) emoritur, neque regeneratur. Ex quibus clarissime patet, non solos regeneratos, sed irregeneratos etiam, sive ad regenerationem tendentes, sive eadem frustratos, veram habere posse verbi divini & rerum divinarum notitiam. Neque etiam quando Christus jam homini fideli vere inexistit, operationes in suas immediate sola praesentia sua exercet, sed quicquid in illo boni movet promovetque, non nisi per verbum, vel intra animi hominis fidelis ruminatum vel exterius lectum & praedicatum, efficit. Ut Praeceptor absentem quidem per epistolam informare potest, feliciter tamen eum instituet, quando ipsi non tantum praesens, sed & cum ipso in eodem conclavi habitat, neque hic tamen quicquam sine verbali informatione facit. Paulus non tantum verbo a se praedicato Galatas nondum regeneratos, quos miratus fuerat tam cito perverfos ad aliud *Evangelium*

ITANS -



*transgressos*, Gal. I. 6. formaverat, sed etiam jam regeneratos & conversos, in quibus Christus jam existerat, non nisi per verbum & Epistolas suas confirmabat, excitabat, admonebat, consolabatur. Scribit enim ubique ad *dilectos DEI & vocatos sanctos*, Rom. I. 7. ad *sanctos & fideles*, quos elegit *DEVS*, quibus *benedixit in Christo omni benedictione spiritali in supracælestibus*, Eph. I. 1. seq. ad *sanctos in communione Evangelii existentes*, de quibus perivasus fuerat, *DEVM bonum opus in ipsis captum usque ad diem J. C. continuaturum esse*, Phil. I. 1. 5. 6. ad *sanctos & fideles fratres de quorum fide in Christum Jesum & charitate erga omnes sanctos adiverat*, Col. I. 2. 4.

S. XII. Quæritur duodecimo: *An quia Christus in fidelibus generatur, fideles vere possint dici matres Christi?* Mirum non est, a Fanaticis perpetuo quasi cerebrini spiritus delirio laborantibus, id quoque locutionis monstrum passim jaçtari. Quis vero ante non ita multos annos credidisset, etiam in ipso Lutheranorum gremio fore aliquando, qui sub revocatæ, quæ antea scilicet penitus in Ecclesia nostra exulabat, pietatis specie, iisdem *τίμασι* non delectarentur tantum, sed eadem tanquam quintam veræ religionis essentiam eidem obruderent? Nominare juvabit in hac Academia & alias satis notum D. Peterfenium, qui majore, quam ullus Panaticus, conatu locutionem hanc non tantum ex nostro, verum etiam ex aliis Scripturæ S. dictis deducere aggressus est, utpote cum Christus de iis, qui voluntatem Patris sui cælestis faciunt, pronunciat, *quod mater ipsius & sorores & fratres sint* Matth. XII. 49. itemque quod Paulus affirmat, *nos esse membra corporis Christi de carne ipsius & de sanguine ipsius*, Eph. V. 20. Ut vero in priori loco nihil aliud dicitur, quam, ut ait D. Egidius Hunnius, quod qui facit voluntatem Patris cælestis, is Christo, ut humano generis redemptori, tam charus tamque intime sit dilectus, ac si esset mater ipsius, aut frater, aut proxime cognatus: ita in altero, dicente Calovio, respicitur ad hominis regenerationem, in qua confortes Christi reddimur non carnali, sed spiritali ratione. Videatur ex instituto doctissimus Bûcherus, in incircumciso Rabbinò Art. III. p. 37. sqq. Jam primarium fundamentum, quod Panatici locutioni illi substernunt & desuntum est ex dictis nostris



stris Apostolicis, nihil minus quam illam in se complectitur. Nec enim dicitur Christus in fidelibus generari, sed Christus in iisdem, tanquam foetu in utero Pauli contento, ad quotidianum argumentum & perfectionem in recuperanda priore fide, formari, ceu ostendimus Cap. II. §. XVIII. Sed vero de re manifesta & aliis etiam argumentis in dissertatione passim refutata plura dicere supervacaneum foret.

XIII. Quæritur decimo tertio: *An Christus in nobis formatus & existens per illam ipsam essentialem nobiscum unionem initium & primus fons sit salutis nostræ, imo ipsa justificatio & fides nostræ?* Weigelius Part. III. Post. p. 13. ita hac de re loquitur: *Wahre Seeligkeit ligt an der wesentlichen Vereinigung des Menschen mit Gott in Christo Jesu.* Rotunde Quakerorum sententiam exprimit Barclaius in Apol. p. 128. sq. *Remissionem peccatorum collocamus in justitia & obedientia a Christo in carne sua peracta, quod ad eam causam procurantem attinet; & ipsos formaliter justificatos reputamus per Jesum Christum, in eis formatum & in nobis productum.* Vna nempe Fanaticorum cum Pontificiis & Socinianis fere doctrina est, quantum variant loquendi formis. Pontificii dicunt, justitiam & obedientiam Christi promeruisse, ut justitia nobis inhærens infunderetur, per quam justificaremur. Sociniani docent, Christum obedientia sua effecisse, ut salvi redderentur, quotquot mandatis Christi obsequerentur. Est autem obsequium hoc, mandatis divinis præstitum, nihil aliud quam inhærens justitia. Fanatici ajunt, Christi justitiam procurasse, ut justii efficeremur per Christum in nobis productum. Quia juxta ipsos nihil aliud est nisi justitia hominis & sanctitas in bonorum operum studio consistens. Vid. Barclaji Apol. p. 128. Quemadmodum vero in univerſa hac materia locutiones abusivæ & absurdæ Fanaticis sunt solennes: ita quoque consverum ipsis est, Christum in nobis vocare ipsam justificationem, ipsam fidem, ipsam salutem nostram. Vid. celeberr. D. Schelgwigius Part. II. Quack. toto Artic. XIV. Verum enim vero, initium possessæ salutis & impetratæ justitiæ, qua coram DEO, remissis peccatis, *grati & accepti reddimur in dilecto*, Eph. I. 6. non esse Christum gratiose nobis unitum, sed justitiam ipsius, agendo patiendoque pro nobis præstitam, nobisque per



per fidem imputatam, quam demum insequatur unio Christi mystica, ad nos in gratia semel impetrata conservandos atque ad sanctitatem pietatisque studium inflammandos, Epistola nostra ad Colossenses Cap. I. 20. 21. 22. disertè asseverat, dum ait: primo *universa reconciliata esse per ipsum & pacem illum fecisse per sanguinem crucis suæ in celo*, inter Patrem suum & in terra, inter homines, DEI hostes ob mala opera; ideo vero hanc inter DEVM hominemque pacem coaluisse per passionem Christi carnis, ut postquam jam reconciliari essent, adeoque post receptionem in gratiam divinam, *eisdem sisteret sanctos innocentesque & inculpatores eorum ipso*. Nec aliter Epistola ad Galatas, Christum nos redemisse a maledictione legis, pro nobis maledictum factum, ut benedictio divina nobis obtingeret in Christo per promissionem Spiritus, idque per fidem; C. III-13. Fides igitur est, quæ ante omnia acceptat cum summa fiducia redemptionem Christi & benedictionem, inde ad nos per Spiritus S. promissionem fluentem. Qua posita DEVS, tanquam amicus noster factus, se se nobis conjungit & nos tanquam templum suum inhabitat.

§. XIV. Posset hæc tractatio innumeris id genus quæstionibus controversis augeri, cum Christus in nobis in universum Theologiæ Fanaticæ systema sese diffundat, & vix unum articulum relinquat intactum, uti vel sola inspectio Quakerissimi Confutati Scheigvigiani docere potest: Sed nobis ea tantum ex magno numero seligendo fuerunt, quæ ex dictorum a nobis propositorum virtute ad *Quakerismum* sua stabilienda directe adduxere Fanatici, ut vindiciæ ex rextuum accuratori scrutinio pro exercitio Academicò esse possent. Quod cum nunc pro viribus nostris factum sit, partim defectus nostros Benevolo Lectori deprecamur, partim DEO, cum quo exordia tractationis fecimus, supplices facti, enixissime eundem veneramur, ut Christus in nobis non per fidem tantum habitet, sed & apud nos maneat tanquam in domicilio suo usque ad finem vitæ; ita eidem & in altera vita jungemur, nominique ipsius æternas in omni seculo laudes erimus decantaturi. Faxit ita DEVS!

Ad



Ad Præclar. huius Disp. Auctorem  
DN. IOANNEM LÜNINIGUM.

**C**um argumentum istud, quod in presenti Disputatione petra-  
ctur, meo suasu aggredieris, Optime doctissimeque LÜNINIGI,  
noueram equidem, in quantum id sese per universam Fanaticorum  
maralogiam amplitudinem diffunderet, quodque onus Tibi impone-  
rem ipso Æna grauius. Quot enim Tibi libri, quot scæda, quot  
uetera, quot recentia erant pervolvenda, ut somniantium & insanien-  
tium deliria, iucunda nonnunquam pietatis specie blandientia, recte  
cognosceres & a se se invicem, cum intestino bello perpetuo dissentiant,  
discerneres? Verum non incognitus a longo mihi tempore fuit insitus  
Tibi sciendi ardor, perquirendi industria, meditandi iudicandique  
solertia; quibus virtutibus in difficillima quævis Te immittere, eaque  
labore nunquam defesso superare posses. Id quod & effectu ipso ita  
præstitisti, ut post tantam diligentiam nihil amplius ignores earum re-  
rum, quibus Fanatica cohors illorum hodie oculos fascinat, qui a men-  
daci pietate libentius, quam a veritate cælesti, sine qua omnis, quocun-  
que colore fulgeat, pietas mera hypocrisis est, denominari gloria sibi  
ducunt. Laudo itaque studium Tuum & laborem plane indefessum;  
Laudo consilium, quod in argumento Te exercere volueris, quod hodie  
adversus ingruentes vi quæpiam Euthusiasmi ineptias utilitatem non  
vulgarem futuro Dei ministro præbere potest; Laudo candidum inge-  
niumque orthodoxie amorem, qua quamquam hodie Libertinistarum  
fabula facta fuerit, qua veritate illudant, Tu tamen ignominiam  
Christi illis Pietistica Ægypti illecebris merito præhabes, neque Te pudet  
cum Apostolo Evangelii, a Christo nobis prædicati. Quid vero in pre-  
senti Disputatione Tua præstiteris, ii præcipue dijudicabunt, quibus ho-  
diernarum controversarum secreta mysteria & fluxuosi maandri &  
ementia sanctitatis ex quotidiano ἱεροπαιδείων lectione penitus inno-  
tuerunt. Tu vero hoc labore Tuo frueri, eundemque, ut & reliqua  
studia Tua uniuersa, ut aliquando in gloriam nominis Divini immor-  
talem feliciter explicentur, mecum DEUM precare. Scr. in Museo  
d. XX. Julii MDCCV.

Hujus Exercitii Tui  
PRAESES.



00 A 6321

ULB Halle 3  
002 925 397




Stb.

Hi. 82

1012











DISSERTATIONEM ACADEMICAM  
DE

13 71

# CHRISTO IN NOBIS,

AD ILLUSTRATIONEM PLURIMORVM  
SCRIPTVRAE S.

*LOCORVM, IN PRIMIS VERO DICTI APOSTOLICI  
COL. I. 27.*

CHRISTO, DEO NOSTRO ADIVVANTE,

AC

CONSENTIENTE VENERANDA THEOLOGORVM  
FACVLTA TE,

HABENDAM PVBLICE IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
SVB PRAESIDIO,

**DN. IOANNIS FECHTII,**  
SS. TH. D. FVLGIDISSIMI, EIVSDEMQUE P. P. VNDIQVAQVE  
CELEBERRIMI, CONSIST. ASSESS. GRAVISSIMI, SVPERINTEN-  
DENTIS VIGILANTISSIMI, h. t. DECANI MAXIME  
CONSPICVI,

*AD DIEM V. AVGVSTI ANNI MDCCV.*

HORIS LOCISQVE CONSVEVIS

ERVDTORVM PLACIDO EXAMINI SVBICIET

**IOANNES LÜNING, GRVBENH. MECKLENB.**

RECUSA MDCCXV.

26